Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LXII
F
26
NAPOLI

LX.11
7
26-33

~~25-32~~

Camerau
Scans: X I = Ord: S = n.º 2682 =



12

PETRI LAMBECII HAMBURGENSIS COMMENTARIORUM DE AUGUSTISSIMA BIBLIOTHECA CÆSAREA VINDOBONENSI

LIBER PRIMUS,

EDITUS IN LUCEM
AUSPICIO AC LIBERALITATE
SACRATISSIMI GLORIOSISSIMIQUE
PRINCIPIS ET DN. N.
IMP. CÆS.

LEOPOLDI I.

PII, FELICIS, INCLYTI, VICTORIS AC
TRIUMPHATORIS SEMPER AUGUSTI,
QUEM DEUS SOSPITET.

NAPOLI



VINDOBONÆ, Typis Matthæi Coſmerovij, Sac. Cæſ. Majeſt. Typogr.
ANNO M.DC.LXV.

IMP. CÆS.
LEOPOLDO I.
DIVI FERDINANDI III. F.
AVGVSTO:

PIISSIMO FORTISSIMOQVE PRINCIPI:
VICTORI AC TRIVMPHATORI
INVICTISSIMO:
PATRI PATRIÆ
ET
VIGILANTISSIMO SALVTIS PVBLICÆ CONSERVATORI:
GERMANIÆ HVNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ ET SCLAVONIÆ
REGI:
ARCHIDVCI AVSTRIÆ; &c
PETRVS LAMBECIVS HAMBVRGENSIS
NVMINI MAIESTATIQVE EIVS
DEVOTISSIMVS
SALVTEM ET PROSPERITATEM PERPETVAM.

GRatias S. Majeſtati Tuæ acturus, POTENTISSIME IMPERATOR LEOPOLDE, pro Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Tuæ Præfecturâ benigniſſimè mihi cōmiſsâ, Ipſam ecce venerabundus hîc ſiſto, ut ex qualicunque Deſcriptionis ejus primordio re ipsâ intelligas, quàm feliciter divinæ Mentis Tuæ de eâ inſtaurandâ conſilium ſucceſſerit; ſimul & proprijs metiaris oculis Heroi-

ci iſtius benefacti Tui amplitudinem & perennaturam gloriam. Effeciſti profectò hac ratione, ut, quod olim Juvenalis de Imp. Domitiano, amorem literarum in principio Imperij ſimulante, falsò gloriatus eſt, id nunc veriſſimè de TE dici poſſit:

Et ſpes, & ratio ſtudiorum in CÆSARE tantùm.

Macte igitur glorioſiſſimâ hâc cum omnis ævi de re literariâ optimè meritis Principibus concertatione, & perſuaſiſſimum habeto, Poſteritatem inter præcipua Seculi noſtri miracula numeraturam, quòd uno eodem tempore, quo graviſſimum geſſiſti bellum Turcicũ, & ardua S. Imperij Romani negotia in publicis Comitijs coràm expediviſti, inſuper quoque BIBLIOTHECAM VINDOBONENSEM, ab Auguſtiſſimis Majoribus Tuis inſtitutam, liberaliſſimâ æquè ac maximè ſolicitâ inſtauratione verè Cæſaream reddere aggreſſus ſis. Quod ſupereſt, demiſſiſſimè precor AVGVSTE, ut, quâ clementiâ antehac ſæpè, non tantùm præſenti ſermone, verùm etiam per familiares propriæ manus epiſtolas, de S. Majeſtatis Tuæ gratiâ *ſemper me ſecurum eſſe* juſſiſti, eâdem quoque nunc exiguas haſce gratiſſimi ſimul animi mei ac fideliſſimi ſervitij primitias acceptes pariter & tuearis. Vindobonæ d. XXVI Januari CIↃ IↃC LXV.


PETRVS LAMBECIVS I.V.D. S.C.M. CONSILIARIVS.HISTORIOGRAPHVS AC BIBLIOTHECARIVS.AN.ÆT.XXXVI.
SVA
QVEMQVE SORS
MANET.

SENECA

DE TRANQVILLITATE ANIMI CAP. III.

MAGNO ANIMO NOS NON VNIUS VRBIS MŒNIBUS CLAUSIMUS, SED IN TOTIUS ORBIS COMMERCIUM EMISIMUS, PATRIAMQVE NOBIS MUNDUM PROFESSI SUMUS, UT LICERET LATIOREM VIRTUTI CAMPUM DARE.

LIBRI

LIBRI PRIMI COMMENTARIORUM DE AUGUSTISSIMA BIBLIOTHECA CÆSAREA VINDOBONENSI

PARS PRIMA,

Continens

EPISTOLAM

De ſecundo Itinere Italico per Vindobonam ſive Viennam Auſtriæ Romam, redituq; in Aulam Imperialem, & ſuſceptâ Præfecturâ Bibliothecæ Cæſareæ; nec non de ejuſdem Origine, Incremento & præſenti Statu,

poſteaquam ea

AVSPICIO AC LIBERALITATE

SACRATISSIMI GLORIOSISSIMIQVE PRINCIPIS ET DN. N.

IMP. CÆS.

LEOPOLDI I.

PII, FELICIS, INCLYTI, VICTORIS AC TRIVMPHATORIS SEMPER AVGVSTI,

Anno Æræ Chriſtianæ M. DC. LXIII

renovata & inſtaurata eſt.

C. CORNELIVS TACITVS

IN PROOEMIO VITÆ CN. IVLII AGRICOLÆ.

APVD PRIORES, VT AGERE MEMORATV DIGNA PRONVM MAGISQVE IN APERTO ERAT, ITA CELEBERRIMVS QVISQVE INGENIO AD PRODENDAM VIRTVTIS MEMORIAM SINE GRATIA AVT AMBITIONE, BONÆ TANTVM CONSCIENTIÆ PRETIO DVCEBATVR: AC PLERIQVE SVAM IPSI VITAM NARRARE, FIDVCIAM POTIVS MORVM, QVAM ARROGANTIAM ARBITRATI SVNT: NEC ID RVTILIO ET SCAVRO CITRA FIDEM, AVT OBTRECTATIONI FVIT. ADEO VIRTVTES IISDEM TEMPORIBVS OPTIME ÆSTIMANTVR, QVIBVS FACILLIME GIGNVNTVR.

PERIL-

PERILLUSTRI ET REVERENDISSIMO VIRO,

D. RENATO FRANCISCO SLUSIO,

J.U. DOCT., ECCLESIÆ CATHEDRALIS S. LAMBERTI APUD LEODICENSES CANONICO, ET EMINENTISSIMO ELECTORI COLONIENSI A PRIVATO CONSILIO,

PETRUS LAMBECIUS HAMBURGENSIS,
J.U.D. & S. Cæſ: Majeſt: Conſiliarius, Hiſtoriographus, ac Bibliothecarius S.

AMicitia illa, CHARISSIME SLUSI, pluſquam fraterna, quam duodecim abhinc annis, cùm Romæ per biennium mutuâ familiaritate uteremur, genij potiſſimùm ac ſtudiorum ſimilitudo inter nos conciliavit, ſanctiſſimæ inſtar legis mihi eſt, ut, ubicunq; ſim, abſentis Tui memoriam jucundâ recordatione aſſiduè recolam, & ſive lætum quidquam, ſive triſte mihi accidat, id omne, qualecunq; ſit, vel augendi gaudij, vel minuendi doloris causâ, Tecum inprimis communicem. Quare haud injuriâ mecum expoſtulare potes, quòd jam pridem nihil à me acceperis literarum, cùm tamen minimè dubium ſit, quin aliundè cognoveris, varias magnasq; rerum mearum viciſſitudines intereà conti- I.

giſſe. Sed heus! redibis ſine controverſiâ mecum in gratiam, ſi cauſam mei ſilentij nimium erga Te amorem fuiſſe intellexeris. Sciebam nempè, quantùm me amares, & quàm vehementer proſperitas mea curæ Tibi atq; cordi eſſet; itaque, cùm ex improviſo inopinatus adverſæ fortunæ æſtus à patriâ me abriperet, nec ipſe prævidere poſſem, quorſum incertus tantæ tempeſtatis impetus eſſet evaſurus, differendum cenſui tàm ingratum nuntium, donec temperatura felicioris eventûs acerbitas Tragici principij mitigaretur, & ex doloris ac voluptatis mixtura (*) γλυκύπικρόν τι emergeret. Satisfaciam igitur nunc Tibi tàm abundè, ut de prolixitate potiùs ſubſecutæ compenſationis, quàm diuturnitate præteriti ſilentij conqueraris.

(*) *Dulce-amarum.*

II. Quis rerum mearum ſtatus ſub principium ſuperioris anni CIƆ IƆC LXII fuerit, omnium optimè in memoriam Tibi revocabunt *Epigrammata* illa *duo* ad *Sereniſſimam Suecorum Reginam*, quæ ultimis Tuis literis, (1) *d. 17. Ianuarij* datis, incluſeras. En Tibi utrumque, ſi fortè eorum non reminiſceris ampliùs:

(1) *d. 7. Ianuarij, ſtyl. vet.*

Perfugium Muſis, quo non præſtantius ullum
Sol oriens terris, Sol videt occiduus,
Lambecium, REGINA, *meum quæ ſortis iniquæ*
Caſibus, & triſti ſubtrahis invidiæ,
Ecce Tuas docto jam promet pectore laudes,
Præmia virtutis qualiacunq; Tuæ;
Illa quidem ſuperat quidquid ſublime vocamus,
Atq; ſibi pretium dicere ſola poteſt;
Sed tamen Hic reddet mortales qualia poſſunt
Præmia. Sic Superis thura minuta damus.

Et rursùs Græcè in eundem ferè ſenſum:

Χαῖρε μοι, ὦ Δέσποινα, τεὸν κλέος οὔποτ' ὀλεῖται
Σῆς ἀρετῆς γὰρ ἔχεις μάρτυρα Λαμβέκιον.

Ita certè & *Sereniſſimæ Reginæ*, & mihi tunc gratulabaris; ſed negotium illud, quo Tu alludebas, multò ante, quàm literæ Tuæ cum *Epigrammatibus* iſtis mihi redderentur, quæ neſcio vel fati vis, vel fortunæ levitas derepentè turbavit, objectando mihi (2) *d. 18. Ianuarij* ſplendidam quidem, ſed reverà fallacem quietis & tranquillitatis meæ in Patriâ perpetuùm ſtabiliendæ conditionem: quâ præcipitanter & incautè arreptâ, alterutrum mihi neceſſariò eligendum fuit, ut vel reliquum vitæ tempus cum maximo rei literariæ damno in continuâ conſumerem inquietudine ac mœrore, vel priſtinam tranquillitatem voluntario exilio recuperarem. Si quæſieris,

(2) *d. 8. Ianuarij, ſtyl. vet.*

ſieris, *mi Sluſi*, quæ hæc ſint ænigmata, hoc reſponſo velim contentus ſis, perſonas hujus dramatis, quæ ſordidiſſimâ avaritiâ ſuâ, & hinc profectâ intolerabili iniquitate, mutandi generis vitæ neceſſitatem mihi impoſuerunt, indignas eſſe, quarum memoria ad
poſteritatem propagetur. Cùm igitur *die* (1) *24. Aprilis* ſub ve- III.
ſperam Sereniſſimæ Reginæ CHRISTINÆ, quæ in reditu ex Sue- *(1) d. 14. April. ſtyl. vet.*
cia *Hamburgi* adhuc commorabatur, debitâ veneratione valedi-
xiſſem, poſtridiè ſummo mane è patriâ diſceſſi, &, precatus Chri-
ſtiano ſenſu aureum illud *Epicteti*, (2) Ἄγε δή με ὦ Ζεῦ καὶ σὺ ἡ *(2) Duc me ô Iupiter & tu Fatum.*
πεπρωμένη, propoſitum iter inchoavi. Jactâ itaq; aleâ transgreſ-
ſus *Albim*, intra triduum *Magdeburgum*, biduo autem poſt, nempe
(3) *d. 29. Aprilis*, perveni *Lipſiam*, nitidiſſimam Germaniæ noſtræ *(3) d. 19. April. ſtyl. vet.*
urbem, & advenarum confluxu propter ſolennes nundinas adeò
tunc frequentem populo, ut vix ægrè commodum divertendi lo-
cum invenerim. Unicum duntaxat diem, quo continuandi iti-
neris causâ alium conducerem currum, hîc ſubſtiti, & (4) *Kalendis* *(4) d. 21. April. ſtyl. vet.*
Maij inde profectus, ſequenti die forte fortunâ haud procul *Miſnâ*
obvium habui Sereniſſimum Saxoniæ Electorem *Georgium Wilhelmum Dreſdâ Lipſiam* petentem, ut cum Sereniſſimo *Marchione
Brandeburgenſi*, alijſq; nonnullis Principibus, qui itidem eò jam
venerant, colloqueretur. *Die* (5) *tertio Maij* paulò ante meridiem *(5) d. 23. April. ſtyl. vet.*
veni *Dreſdam*, magnificentiſſimam pariter ac munitiſſimam Du-
cum Electorum Saxoniæ ſedem, ubi ſpectandis varijs rebus, quæ
peregrinantium curioſitati monſtrari ſolent, reliquam diei partem
conſumpſi. *Die* (6) *quarto Maij* diſceſſi *Dreſdâ*, & poſt meridiem *(6) d. 24. April. ſtyl. vet.*
tranſgreſſus *Miſniæ* & *Bohemiæ* confinia, ſcandere occœpi *Hercinios*
ſive *Suditos montes*, nive ac gelu horridos, quibus *Bojobæmia* undiq;
cingitur, ijſq; ſuperatis, *die* (7) *ſexto Maij* veni *Pragam*, cum alijs *(7) d. 26. April. ſtyl. vet.*
multis nominibus celebrem, tùm vel inprimis origine funeſtiſſimi
belli, quo præter ipſam *Bojobæmiam* omnis *Germania* cùm conterminis regionibus continuos triginta annos arſit, famoſam. Quare integrum ferè biduum perluſtrationi ejus impendi, admiratus præcipuè rapiditatem *Muldæ*, & lapidei pontis, viginti quatuor magnis fornicibus innitentis, præſtantiam. Continuavi deinde iter, & ex *Bojobæmia* in *Moraviam*, ex *Moravia* verò in *Auſtriam*
progreſſus, *die* demum (8) *decimo tertio Maij* intravi *Vindobonam*, *(8) d. 3. Maij. ſtyl. vet.*
ſeu ut vulgò loquuntur, *Viennam*; cujus Urbis viſendæ deſiderio
inde à primâ adoleſcentiâ incredibiliter flagraveram; perſuaſiſſimum quippe habens, optimo jure *Tertiam* ſive *Germanicam Romam* cenſendam eſſe, quæ integris jam plus tribus ſeculis ſedes fuiſſet

Cæſarum, & caput totius Imperij Romano-Germanici. Cæterùm favit fortuna adventui meo, dum proximo ſtatim die haud vulgarem totius Imperialis Aulæ ſpectandæ occaſionem mihi obtulit. Die enim Dominico, qui ingreſſum meum in Urbem proximè ſequebatur, & (1) *decimus quartus* erat *Maij*, ſuſcepit Princeps Juventutis, Sereniſſimus Auſtriæ Archidux *Carolus Joſephus*, unicus Sacratiſſimi Domini Noſtri Imp. Leopoldi I. frater conſanguineus, anno ætatis ſuæ *decimo tertio* ſolenni cæremoniâ Inclyti Equeſtris Ordinis *Teutonici* dignitatem ac inſignia, & quidem à manu Patrui, Sereniſſimi nempe & Pijſſimi Principis *Leopoldi Guilielmi*, Archiducis Auſtriæ, & Supremi Præfecti Ordinis *Teutonici*; cujus efficaciſſimum ad conſervandam tranquillitatem publicam auxilium beatiſſima quidem, ſed præmatura mors *die vigeſimo Novembris* ſuperioris anni 1662. nobis abſtulit. Ornabat Heroicum illum Actũ Auguſtiſſimâ præſentiâ ſuâ *Ipſa S Cæſarea Majeſtas*, unà cum Sereniſſimâ *Imperatrice Vidua Eleonora*, & Illuſtriſſimis Aulæ Proceribus; quos omnes, ut à multis annis optaverã, ſummâ cum voluptate animi tùm primùm vidi, &, quantum per adfluentem populi multitudinem licuit, intentè contemplatus ſum. Poſtero die præclarum eximiæ pietatis ſuæ exemplum Imperator edidit, inſigni devotione comitando Proceſſionem, quæ hebdomadę S. Crucis quotannis ſolet celebrari.

(1) *d. 4. Maij, ſtyl. vet.*

V. Quâ peractâ ſolennitate, inviſi à meridie Reverendiſſimum Patrem *Philippum Millerum*, Societatis Jesv religioſiſſimum, & de Catholicâ religione optimè meritum Sacerdotem, qui *Imperatori* à ſacris Confeſſionibus eſt, & non minùs humanitate, quàm ſanctitate vitæ omnium bonorum amòrem & applauſum promeruit. Conciliaverat mihi tanti Viri amicitiam R. P. *Guilielmus Gotofredi* è Soc. Jesv, qui Catholicæ Religionis propagandæ causâ Hamburgi degens, familiariſsimè mecum vixit, & talem ſe erga omnes præbuit, ut nec benignitatem ejus, nec prudentiam, nec pietatem ſatis poſsim prædicare. Cùm enim abhinc biennio ſolicitus eſſem, quâ ratione ac modo *primus Hiſtoriæ Literariæ Tomus*, ſingulari quodam providentiæ Divinæ inſtinctu *S.Cæſ. Majeſtati* à me dicatus, in manus *Cæſaris* poſſet pervenire; quippe cùm nec Rectoratus Gymnaſij Hamburgenſis, quem recens ſuſceperam, permitteret, ut ipſe in Aulam Imperialem proficiſcerer, nec fides amicorum, quorum operâ & auxilio me in hoc negotio uſurum ſperaveram, expectationi meæ reſponderet, ex improviſo ecce, tanquam Deus aliquis ex machinâ, hæſitanti mihi peropportunè ſuccurrit jam memoratus R. P. *Guilielmus*, & egregiam mihi

ſubmi-

ſubminiſtravit occaſionem, quâ ſine ullo ſumptu meo exemplar *Hi-*
ſtoriæ Literariæ unà cum *primo* & *ſecundo rerum Hamburgenſiũ libro*,
& commendatione ſuâ ad Reverendiſsimum P. *Millerum Vindobo-*
nam perferretur. Nec multo pòſt perbenignum hoc ab ipſo acce-
pi reſponſum, placuiſſe ſibi iſta opera, nec dubitare, quin placitura
etiam eſſent *S. Cæſ. Majeſtati*; cæterùm operam ſe daturum, ut
re ipsâ gratus inveniretur, ſi quando contingeret, ut ipſe iſtuc in
tranſitu venirem. Hoc igitur promiſſum Reverendiſsimo Patri, VI.
cùm (1) *d. 15. Maij* ſuperioris anni primâ vice ipſum inviſerem, in (1) *d. 5. Maij, ſtyl. vet.*
memoriam revocavi, & fructum ſpe ac voto longè majorem inde
conſecutus ſum. Nam ſequenti ſtatim die, qui (2) *decimus ſextus* (2) *d. 6. Maij, ſtyl. vet.*
erat *Maij*, ex inopinato à meridie mihi fuit nuntiatum, placere *Cæ-*
ſari, ut audientiæ causâ in Palatio me ſiſterem. Terruit me non
minùs, quàm exhilaravit hic nuntius. Ut enim benignitati fortu-
næ gratias agebam, quòd compotem me reddidiſſet voti, ſic hor-
rore perfundebar, contrà reputando, quanti momenti res eſſet, Su-
premum Chriſtiani Orbis Monarcham coràm alloqui. Satisfeci
tamen clementiſsimo mandato humillima obedientiâ, & indictâ
horâ in Aulam me conferens, perbenignam admiſsionem ſine ulla
difficultate impetravi. Stabat *Cæſar* in pegmate paulum à terrâ
elevato, poſt ſe collocatæ leniter innitens menſæ. Veſtis & pal-
lium ex nigro ſerico ſine mollitie & luxu antiquæ Germanicæ con-
gruebant modeſtiæ. Pileus purpureis ornatus criſtis, & auro in-
ſignis à latere dependens gladius heroicum quiddam potiùs ſpira-
bant, quàm elegans. Vultus ſerenâ gravitate plenus, nativè ex-
primebat difficillimam illam ſocietatem Majeſtatis cum humani-
tate. Attonitus itaq; auguſtiſsimo hoc ſpectaculo, vix ægrè pri-
mùm me collegi; collegi tamen, & poſt trinam, uti moris eſt, genu
flexionem ſacram oſculatus manum, præmiſsâq; paucisſimis, quan-
tum potui, verbis debitâ excuſatione, *quòd in tanti Principis conſpe-*
ctum venire, eidemq; ſcriptum aliquod, & id quidem immaturum ad-
huc atque imperfectum dicare auſus eſſem, ſimul & *primum Hiſtoriæ*
Literariæ Tomum, & *priores duos Rerum Hamburgenſium libros* de-
miſsiſsimè obtuli. Suſcepit eos *Cæſar* ſingulari quadam cupiditate,
& Hiſtoriam quidem Literariam ſine morâ aperuit, percunctans ſi-
mul, *quodnam Operis argumentum eſſet, & quid Hiſtoriæ Literariæ*
nomine comprehenderetur. Reſpondi *eâ appellatione contineri partim*
generalem enarrationem originis, incrementi, mutationis, interitus
& inſtaurationis omnium linguarum, ſcientiarum, facultatum & ar-
tium liberalium ſecundùm ſucceſſionem ſeculorum omnis ævi, & tranſ-

A 3 *migra-*

migrationem in omnes regiones totius orbis terrarum; partim verò ſpecialem recenſionem Virorum ſapientiâ & eruditione illuſtrium, qui inde à creatione Mundi uſq; ad noſtram ætatem, vel publicatis ingenij ſui monumentis, vel ſaltem amore erga literas & artes liberales earumq; ſtudioſos claruerunt: nempe quo tempore, quo loco & quâ ratione quiſq; eorum vixerit, quid vel inveniendo, vel ſcribendo, vel propagando, vel protegendo in rem literariam contulerit, quæ cujuſq; ſcripta perierint, quæ ſuperſint, quæ jam prodierint in lucem, quæ & in quibus Bibliothecis adhuc latitent, quæ optimæ editiones, qui optimi Commentatores & interpretes, quid de unoquoq; autore reſpectu ingenij, diligentiæ, fidei & ſtyli judicandum, & quomodo alter alteri ratione antiquitatis aliarumq; circumſtantiarum vel præferendus, vel poſt habendus ſit. Ad hæc Cæſar: *gratum Sibi eſſe oblatum munus, & propoſitum probari; pergerem igitur in eo ſtrenuè & alacriter ſub Patrocinio ſuo, quo me deinceps conſtanter eſſet protecturus.* Confirmavit inſuper benevolentiam, quam verbis teſtatus fuerat, re ipsâ, & proprio animi motu decrevit, ut pro dedicatione Operis *torque aureo cum numiſmate* itidem *aureo*, tanquam prœmio feliciter inchoati laboris, & invitamento continuandæ diligentiæ remunerarer.

VII. Cujus liberaliſsimi decreti effectû eâdem ſenſi hebdomade, utpote ſub cujus finem, *die* videlicet *vigeſimo Maij* jam memoratum laboris prœmium & inſigne benevolentiæ Cæſareæ pignus domi ſuæ mihi obtulit Illuſtriſſimus & Excellentiſsimus Comes *Ioannes Maximilianus de Lamberg*, Eques Inclyti Velleris Aurei, nec non S. Cæſareæ Majeſtatis Conſiliarius Intimus, Supremus Sacri Cubiculi Præfectus, & ad Potentiſsimum Hiſpaniarum Regem *Philippum IV.* per integrum circiter ſeptennium extra ordinem Legatus; de cujus magni Mecœnatis mei eximia eruditione, maximo rerum uſu, ſummâ integritate & candido erga me affectu poſthac ſuo loco agam uberiùs. Interim ecce Tibi, *mi Sluſi*, exemplum numiſmatis aurei, cujus paulò ante feci mentionem, & mecum admirare vultum Imperatoris noſtri Leopoldi I. verè Auſtriacum, in quo fingendo natura rerum lineamenta quatuor Imperatorum *Rudolphi I, Caroli V, Rudolphi II* & *Ferdinandi III* adeò ſolerter commiſcuit, ut artificium hoc meritò nobis ſit pro fauſto omine. Annitatur enim invida Fortuna, quantum velit, orientem hunc Solem obſcuris adverſitatum nubibus opprimere, emerget Ille tamen diſcuſsis paulatim ſplendoris ſui obſtaculis, & miraculoſæ Ipſius electioni miraculoſa Dei reſpondebit protectio.

Cæte-



Cæterùm, ut ad iter meum redeam, biduo poſt remunerationem meam, nempe *d. 12. Maij*, abijt *Cæſar Poſonium*; ego verò petij *Aquas* [illegible]*as* ſive *Thermas Badenſes*, quatuor milliaribus Germanicis *Vindobonâ* diſtantes, & poſt tridui recreationem in Urbem reverſus, præparavi me ad iter Italicum, conductoque curru triginta duobus aureis, *Venetias* profectus ſum. *Vindobonâ* diſceſſi *pridie* VIII.
Kalendarum Iunij circa meridiem, & ſequenti die circa idem tempus perveni *Neoſtadium* ſive *Neapolim Auſtriæ*. *Die ſecundo Iunij* benè mane attigi *Clauſtra Auſtriæ*, vulgò quidem *Schodt-Ween, Schadt-Wien* vel *Schaid-Wien* dicta, ſed, ut ego arbitror, *Schutz-Wien* potiùs appellanda; & mox eam *Cetij* montis partem, quæ vulgò *Semaring* vel *Simmeri* vocatur, & prægelida tunc temporis, ac nive adhuc erat candida, conſcendens, atque in ejus vertice *confinia Auſtriæ* & *Stiriæ* tranſgreſſus, poſtero die veni *Muripontem*, ſuperioris *Stiriæ* Urbem primariam. *Die quinto Iunij* intravi *Carinthiam*, & per oppidum *S. Viti* atque *Villacum* perrexi *Pontevam* ſive *Pontafelam*, ubi in ponte, amni *Felæ* impoſito, *Auſtriaca* à *Veneta* ditione ſeparatur. Perveni eò *d. 8. Iunij* ſub principium noctis, ominoſo in ultimum Germanicæ ditionis diverſorium introitu. Deſcendens enim curru, adeò vehementer contorſi talum dexteri pedis, ut per biduum cum acerrimo dolore mihi fuerit claudicandum. Interpretabar ego hoc accidens, ac ſi Germania gravatim me dimitteret, & quaſi per vim retinere conaretur: at, poſtea quam hoſpiti meo ſuper menſam narravi, paucis antè horis in pago quodam me ſpectaſſe ſolennem *Vinidorum* choream, & aniculæ haud illepidam puellam, ut cùm ea ſaltarem, offerenti abnuiſſe,

nuiſſe, ſubridens ille, quàm vereor, inquit, ne vetula illa ſaga recuſatam ſaltationem immiſsâ claudicatione vindicaverit. Principio ſequentis diei valedixi Germaniæ, & ingreſſus peranguſtam *Noricarum Alpium* convallem, haud feliciorem me ſenſi in Italiæ introitu, quàm præterita fueram veſperâ in fine ditionis Germanicæ. Pallium enim, quo peregrinanti nihil ferè magis neceſſarium eſt, in viâ perdidi inter *Pontevam* & anguſtias, vulgò *la Chiuſa* dictas, quas circa meridiem attigi. Pergens deinde inter continuos altiſſimorum montium nativos parietes, & ſuperatis ſine impedimento duobus fluvijs, qui peregrinantibus plerumq; incommodiſſimi eſſe ſolent, *Tilavempto* videlicet, qui nunc *Tajamento*, & *Plavi*, qui nunc *Piava* dicitur, tranſij *die 12. Iunij Tarviſium*, nunc *Treviſo*, Urbem magnificam & munitiſſimam, quam *Silis* amnis interſecat; ſequenti autem *die 13 Iunij* appuli feliciter *Venetias*. Nunquam ibi anteà fueram, quòd tàm A. 1647, cùm primâ vice Romam peterem, quàm biennio pòſt cùm inde recederem, utroque tempore per *Hetruriam*, *Liguriam* & *Galliam Narbonenſem* iter fecerim. Obſtupui igitur primo admirandæ Urbis conſpectu; quippe quæ non humano artificio extructa, ſed ſponte ſuâ ex ipſo mari enata videtur; ideoq; in undecimum uſq; diem illic ſubſtiti, perluſtrans inprimis magnificentiſſimum *S. Marci forum* cum annexâ *Baſilicâ*, *Palatio* & *Turri*, nec non vaſtiſſimum claſſicoq; apparatu inſtructiſſimum *Navale*, & inſulam *Muranum* officinis vitrarijs celeberrimam: ſimul etiam animo acriter contemplans prudentiſſimam Reipublicæ adminiſtrationem, cujus adminiculo Urbs ab exiguis profecta originibus, brevi temporis ſpatio tantas domi militiæq; acquiſivit vires, ut ne Turcici quidem Imperij cedat potentiæ. Atenim verò quam ex præſtantiſſimæ Civitatis perluſtratione percepi voluptatem, imminuit aliquantulum inſolentia Trapezitæ, cui cambij causâ commendatus fueram. In omnibus enim, quotquot unquam feci, itineribus neminem ex iſto hominum genere tàm ſtolidè arrogantem & tàm ſordidè diffidentem,

IX. quàm iſtum Germano-Italum Lyconem reperi. Diſceſſurus deinde *Venetijs*, renuntiavi per literas *Rectoratui Gymnaſij Hamburgenſis* & annexæ *Profeſſioni Hiſtoriarum*, quam inde à d. 13 Januarij ſtyl. vet. A. 1652, uſque ad d. 11. Aprilis A. 1662, per integrum decennium tàm voce, quàm calamo inter varias graviſſimaſque adverſitates fideliſſimè adminiſtraveram; atque itinere Romam converſo, *Venetijs 24 Iunij* multâ jam nocte navim ingreſſus, petij *Ferrariam Pado* flumini adjacentem. Hinc porrò per

Rhenum

Rhenum Galliæ Ciſalpinæ Ciſpadanæ fluviolum, quem ex *Apennini* jugis profluentem *Padus* à dextrâ ripâ recipit, navigavi *Bononiam*, antiquiſſimâ totius Italiæ Academiâ clariſſimam. Veni eò *d. 27 Iunij* paulo ante meridiem, & reliquum diei ibi conſumpſi, partim luſtrando ſpectatu digna, partim verò conducendo currum, quo *Romam* veherer. Quâ quidem in re pro ſingulari ſua humanitate fideliſſimam mihi navavit operam ſpectatiſſimus Civitatis Bononienſis Negotiator Dñ. *Gothardus Bontius*, quem uſq; à *Venetijs* in eâdem navi fortuitum habueram comitem. Sequenti *die 28 Iunij* perrexi *Bononiâ Imolam*, olim *Forum Cornelij* dictam, ubi prandi; pernoctavi autem *Faventiæ*. *Die 29 Iunij* prandium mihi præbuit *Ceſena*, generoſo vino nobilis Urbs ac præclaro ſitu inter *Sapin* fluvium, qui ab occaſu Solis *Æmiliam viam* interrumpit, & *Rubiconem* amnem, *C. Iulij Cæſaris* perduellione & *jactæ aleæ* proverbio celeberrimum, qui ab oriente vix ultra primum lapidem præterfluit. *Die 30 Iunij* manè ſalutavi in tranſitu *Ariminum*, pervetuſtam *Umbrorum* primùm, deinde verò *Gallorum Senonum* urbem, ingrediens per antiquum *marmoreum pontem* fluvio olim cognomini ab Imp. *Auguſto* inædificatum; egrediens autē per *arcum triumphalem* marmoreum, ab eodem *Imperatore* in viâ publicâ haud procul ab orientali portâ magnificentiſſimè extructum. Circa veſperam ejuſdem diei perveni *Piſaurum*, peramœnam & probè munitam urbem, ubi ab humaniſſimo Viro Dn. *Ioanne Iacobo Facio*, cujus fratrem Dn. *Ioannem Franciſcum*, cùm unus ex primarijs miniſtris in Sereniſſimæ Reginæ *Chriſtinæ* aulâ *Hamburgi* commoraretur, familiariter noſſe cœperam, adeò non verbis tantùm, ſed reipsâ benignè exceptus fui, ut perpetuùm me ipſi hoc nomine obligatum lubens meritò confitear. *Kalendis Iulij* profectus *Piſauro*, continuavi iter in ipſo littore *maris Hadriatici* per *Fanum Fortunæ*, *Metauro* amni *Haſdrubalis* clade inprimis famoſo adjacens, & *Senam Gallicam*; nec ſine periculo, dum auriga meus haud procul *Piſauro* per vecordem petulantiam nimiùm à terrâ digreſſus, inſultare audet fluctibus. *Die 2 Iulij* deflexi paulùm à via ordinariâ lævam verſus *Anconam*, ut accuratè contemplarer *Portum* ejus tàm naturâ, quàm arte præſtantiſſimum, & in eo admirandum illum *Arcum triumphalem* ex vaſtiſſimis marmorum quadris extructum, mediæq; moli, quæ pro munimento portui objecta eſt, impoſitum in perpetuum honorem ac memoriam Optimi Imp. *Trajani, quod*, ut ipſis antiquæ Inſcriptionis verbis utar, *acceſſum Italiæ hoc etiam addito ex pecunia ſua portu tutiorem navigantibus reddiderit*. Peracto *An-* •X.

cona prandio, petij deinceps *Lauretum;* quò cùm multâ adhuc luce veniſſem, religio mihi fuit, diverſorium priùs intrare, quàm ex voto in *Sacra Domo Lauretanâ* Beatiſſimæ Virgini Deiparæ gratias egiſſem, quòd efficaciſſima ſuâ apud *Filium* interceſſione longum ac periculoſum iter meum eòuſque proſperaſſet. Incredibile dictu eſt, quantâ cupiditate ſacros parietes oſculatus, & quàm ſtupendum horroris ſimul ac dulcedinis affectum in Angelico iſto Divinæ Incarnationis Penetrali expertus fuerim. Judicent itaq; alij, utcunque velint, de *Auguſtiſſima hac Domo;* mihi certè ad Catholicam de eâ traditionem amplectendam abundè ſufficit coràm ſpectâſſe, quòd *ipſa* contra adverſariorum ſuorum arma & ſcripta quotidianis ac præſentiſſimis miraculis etiam nunc ſe tueatur. Sequenti *die 3 Iulij,* cùm *Sacram Domum* ſecundâ inviſiſſem vice, auditoque ſacro & perluſtrato votivarum donationum theſauro, partim devotioni, partim curioſitati meæ ſatisfeciſſem, contendi *Maceratam Piceni* metropolim, ex antiquæ *Coloniæ Helviæ Ricinæ* reliquijs conditam, ſumptoq; ibi prandio, properavi porrò *Tollentinum,* ubi proximam noctem tranſegi. *Die 4 Iulij* ſuperavi *Apenninum* montem, & ſequenti *die 5 Iulij* ante meridiem tranſij *Fulginium,* non contemnendam *Umbriæ* urbem cis *Apenninum* ad *Tiniam* amnem, qui in *Tiberim* ſe exonerat. A meridie ejuſdem diei luſtravi itidem in tranſitu *Spoletium,* ſplendidam urbem rerumq; copia inprimis abundantem, & ab *Hannibale* poſt inſignem ad *Traſimenum* lacum victoriam magnâ ſuorum clade fruſtrà oppugnatam. *Die 6 Iulij* jentavi *Interamnæ,* vulgò *Terni,* quam amnis *Nar* circumfluit; prandi *Narniæ,* quæ in aſpero & magna ex parte prærupto monte poſita, vicinis reliquijs ingentis *marmorei pontis* ab Imp. *Auguſto* extructi inprimis ſuperbit: pernoctavi deniq; *Ocriculi,* quæ ultima *Umbricarum* urbium verſus meridiem, mille circiter paſſibus à ripâ *Tiberis* in colle ſita eſt. *Die 7 Iulij* perrexi per *viæ Flaminiæ* vetuſta monumenta & antiqui *Ocriculani municipij* ampliſſima ruinas ad Principem fluviorum *Tiberim;* eoq; tranſmiſſo, deſcendi in illam *Hetruriæ* partem, quæ vulgò nunc *Patrimonium S. Petri* & *Status Eccleſiæ* appellatur. Prætergreſſus deinde vicum *Borgettum,* nec non *Soractis montis* radicem oppidulumq; *Arinianum* & *Caſtrum Novum,* noctem conſumpſi in eo viculo, qui *Porta Prima* dicitur. *Die* demùm *8 Iulij* ante lucem à *Portâ Primâ* ad *pontem Mulvium,* miraculosâ Sanctiſſimæ *Crucis* apparitione, & ſubſecutâ Imp. *Conſtantini Magni* de *Maxentio* victoriâ celebratiſſimum, atq; inde porrò ad *portam Flaminiam,* nunc *Populi* dictam, progreſſus,

ſum-

ſummo mane *Urbem* intravi *Orbis terrarum Dominam.* Ingreſſus recepi me in notiſſimum *Urſi* diverſorium, aſſumptoq; mundiori habitu, adij ſine mora *Palatium Cancellariæ,* in quo ante *tredecim* annos apud *Avunculum* biennium integrum commoratus fueram. Incidi autem fortuitò in veterem Amicum, Virum eruditiſſimum *Carolum Moronum*, Eccleſiæ S. Laurentij in Lucina Canonicum, qui Eminentiſſimo Cardinali *Franciſco Barberino*, S. R. E. Vice-Cancellario à Bibliotheca eſt. Hujus benevolo indicio jam memoratus Eminentiſſimus Princeps ante meridiem adhuc adventum meum in Urbem reſcivit; ideoq; ſtatim à prandio currum miſit, & ex diverſorio honorificè accerſitum, paterno prorſus affectu amplexus, ſimul & gaudium de reditu meo in Urbem, & dolorem de morte Avunculi teſtatus eſt. Multis dein verbis ultrò citroq; habitis, vetuit me diutiùs degere in publico diverſorio, & illo ipſo adhuc die commodiorem alium habitandi locum ſummâ curâ mihi aſſignavit. Quibus præterea beneficijs ab eodem Eminentiſſimo Principe toto reliquo tempore commorationis meæ in Urbe affectus fui, ea tot ac tanta ſunt, ut non ullo tantùm gratitudinis genere à me compenſari poſſint, ſed ne verbis quidem ſatis prædicari. Idem Tibi velim dictum exiſtimes, *mi Sluſi*, de communi amico noſtro R. P. *Richardo*, Eccleſiæ Novæ S. Mariæ Vallicellanæ Sacerdote pijſſimo, qui, ut primùm me vidit, præ gaudio vix ſuis credidit oculis. Venit is ad me proximo mane ab adventu meo in Urbem, & honoris causâ curru deduxit ad *Eccleſiam Novam*, ubi præter non paucos veteres familiares Romanos, ſupra ſpem ex Saxoniâ quoque mea & Belgio inveni Virum eruditiſſimum *Marquardum Gudium* cum Nobiliſſimo Juvene *Samuele Schaſſio*; quorum alterũ A. 1657, cùm in itinere *Hamburgi* me inviſeret, alterum verò A. 1660, cùm *Lutetiæ Pariſiorum* magnificentiſſimum Regis *Ludovici XIV.* cum nova Nuptâ introitum ſpectarem, familiariter noſſe cœperam. XI.

Cum his omnibus igitur priſtinam renovavi amicitiam; quo facto, XII.
poſt diſceſſum ex *Eccleſia Nova* inviſi *Eccleſiam Germanorum* cognominatam *Animæ*, in quâ præter Summum Pontificem *Hadrianum VI.* Imp. *Caroli V.* Præceptorem, nec non Eminentiſſimum Cardinalem *Andream Auſtriacum*, Imp. *Ferdinandi I.* ex filio Ferdinando Archiduce Auſtriæ nepotem, & Illuſtriſſimum Principem *Carolum Fridericum*, Cliviæ, & Montium Ducem, cujus iter Italicum V. CL. *Stephanus Vinandus Pighius* ſub titulo *Herculis Prodicij* facundiſſimè deſcripſit, frater quoque meus *Ioannes Lambecius* & Avunculus *Lucas Holſtenius* ſepulti ſunt. Epitaphium

Avunculi, ab Eminentiſſimo Cardinale *Franciſco Barberino* Ipſi poſitum, hoc eſt:

D. O. M.
LUCÆ HOLSTENIO
SAXONI HAMBURGENSI,
QUI CLARUS IN GALLIIS, ROMÆ CLARIOR,
GENTIUM OMNIUM ÆTATUMQUE HISTORIAS,
ET ECCLESIÆ RES MENTE COMPLEXUS,
DIVERSIS REGIONIBUS PERAGRATIS, DIVERSOS EARUM
FINES ET NOMINA PROBE TENUIT,
VARIAS QUOQUE LINGUAS PRÆTER GRÆCAM
LATINAMQUE, QUARUM SCRIPTORIBUS PLURIMUM
LUCIS ATTULIT,
ANTIQUAM PHILOSOPHIAM CALLUIT:
AB VRBANO VIII. CANONICATV BASILICÆ
VATICANÆ,
AB INNOCENTIO X. PRÆFECTVRA BIBLIOTHECÆ
ORNATVS,
AB ALEXANDRO VII. SAPIENTER UNVS ELECTVS,
UT OCCURRERET SUECORUM GOTORUMQUE
REGINÆ INCOMPARABILI,
QUÆ MIRAM IN TANTO VIRO SUMMI INGENII
SUMMÆQUE MODESTIÆ CONIUNCTIONEM SUSPEXIT
ET PRÆDICAVIT:
VITÆ DENIQUE LAUDATISSIMÆ ET ILLUSTRIUM OPERUM
CURSU INTERRUPTO,
EXIMIUS PATRIÆ GERMANIÆ AMATOR,
PROPUGNATORQUE RELIGIONIS CATHOLICÆ,
OBIIT ANNO ÆTATIS SUÆ LXV.
IV. NON. FEB. A. M.DC.LXI.
FRANCISCUS BARBERINUS
CARD. S.R.E. VICE-CANCEL.
HÆRES EX ASSE AMICO OPTIMO P.

De

De cætero, quod ad *Bibliothecam* Avunculi & *ultimam voluntatem* attinet, (1) μηδὲ γρὺ à me expectes, præter Homericum illum verſum, quem Cicero ſubinde uſurpat in prudentiſſimis ſuis ad Atticum epiſtolis: (1) Ne gry quidem,

Ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι, ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ.

Verùm hæc acta quidem, mæſti licet, ire ſinamus.

Quod ſupereſt circa veſperam *ejuſdem diei* ſpectavi in *Foro Circi Agonalis*, vulgò *Piazza Navona* dicto, admirandum illum *Obeliſcum*, hieroglyphicis antiquiſſimorum Ægyptiorum literis undiquaque refertum, quem Summus Pontifex Innocentius *X* ex Imp. Antonini Caracallæ extramuraneo *Circo Caſtrenſi* in Urbem inferri, & integritati ſuæ reſtitutũ, ſuper artificioſiſſimum *Aquæ Virginis* fontem, rupis inſtar excavatum, & quatuor Coloſſis cinctum, A. 1651 curavit erigi: doctiſſimus autẽ amicus noſter R.P. *Athanaſius Kircherus* è Societate JESV, quem in hoc itinere bis ſalutavi, integro vaſto volumine, quantum humanâ conjecturâ in re adeò vetuſtâ fieri potuit, egregiè illuſtravit. Jucundiſſimum profectò mihi fuit ſpectaculum, cùm in jam memorato Foro non contemnenda *Naumachiæ* veteris exhiberetur umbra; ſuperante videlicet aquâ ampliſſimam fontis concham, &, cum ſubterranea ejus receptacula occluſa eſſent, maximam Fori partem adeò implente, ut unda medios ſuperaret currus, quibus incredibilis omnigenæ Nobilitatis multitudo æſtivæ recreationis causâ in frigore amabili circum Obeliſcum oberraret. Ubi itaq; olim in pulvere certabatur, ibi nunc in aquis luditur. Sequenti *die 10 Iulij* viſitavi manè *Baſilicam Vaticanam* Principis Apoſtolorum, cujus *aream* æquè ac *Forum Agonale* intra abſentiæ meæ tempus mirè immutatam deprehendi; nec ſine magnâ admiratione adſpexi ingentes illas *porticus*, quibus ea juſſu & auſpicijs Sanctiſſimi Domini Noſtri ALEXANDRI VII, Pontificis Optimi Maximi, quem Deus ſoſpitet, inſtar *Theatri* ita cingi cœpit, ut gradus & Frontiſpicium Baſilicæ proſcenij & ſcenæ loco ſint. Pari admiratione contemplatus ſum prægrandem illam *S. Petri Cathedram*, juſſu ejuſdem Sanctiſſimi Domini Noſtri ex ære fuſam, quæ in Baſilicâ Vaticanâ poſt ſummum Altare collocabitur, ita ut quatuor primarijs Eccleſiæ Catholicæ Doctoribus coloſſeæ magnitudinis, ex ære itidem fuſis, innitatur. Ad eundem modum reliquos ferè omnes tranſegi dies iſtius temporis, quo *Romæ* commoratus ſum; nempe partim antiqua Urbis Admiranda, quæ jam olim videram, partim verò nova, quæ poſt primum meum Italicum iter prioribus acceſſerant, perluſtrando. Etſi enim adhuc adoleſcens

XIII. (margin, beside "Quod ſupereſt…") · XIV. (margin, beside "tudinis, ex ære…")

ſcens ex Antiquitatum Urbis contemplatione magnam percepiſſem voluptatem, longè tamen major ea fuit, cùm poſt *Flori, Livij* ac *Taciti* publicam in Gymnaſio Hamburgenſi explicationem virilibus oculis ſecundâ vice eas intuerer. Finge igitur, *mi Sluſi,* Te comitem tunc mihi fuiſſe, & modò *Capitolinum montem* ac *rupem Tarpeiam,* modò *Palatinum* & ſub eo *Viam ſacram, Forum Romanum* & *Circi Maximi reliquias,* modò *Aventinum, pontiq́; Sublicio* & *Scalis Gemonijs* vicina loca, modò cæteros cis & trans *Tiberim* celebratiſſimos montes mecum pererrâſſe. Jucundiſſima certè hæc Tibi erit fictio recordatione veræ obambulationis, quæ utriq́ue noſtrum maxima olim fuit à gravioribus ſtudijs recreatio. *Bibliothecam* quoque *Vaticanam,* ſi & hoc ſcire deſideras, reviſi beneficio veteris Amici V. CL. *Leonis Allatij,* qui mortuo Avunculo meo ſucceſſit in officio *Primarij Bibliothecæ Cuſtodis. Bibliothecarij* enim titulus, ut noſti, penes unum ſemper eſt ex Eminentiſſimo *Cardinalium* Collegio. De reliquo notabile eſt, exiguo illo temporis ſpatio, quod *ſecundùm Romæ* conſumpſi, Summi Pontificis juſſu diſparem ſortita eſſe fortunam duo præclara Antiquitatis monumenta; *Pantheon* videlicet *M. Vipſanij Agrippæ,* & *Arcum triumphalem* incerti antiqui nominis, vulgò dictum *di Portogallo. Pantheon* enim deſtructione contiguarum ædium in priſtinam reſtitui cœpit magnificentiam ac pulchritudinem; *Arcus* verò *Portugallenſis,* ut Via regia, vulgò *del Corſo* cognominata, proſpectus liberaretur obſtaculo, eâ lege dirutus eſt, ut ornatus ejus ac imagines in Capitolium translatæ

XV. conſervarentur. Verumenimverò relictis Antiquitatibus ad iter meum redeo. *Die* nimirum *27 Iulij* inviſi honoris causâ Eminentiſsimum Cardinalem *Azzolinum,* quo ſuggerente Sereniſsima Regina *Chriſtina,* quæ jam ante me breviori viâ *Hamburgo Romam* venerat, de adventu meo in Urbem certior facta eſt. Itaq́; *die tertio Auguſti* ad audientiam admiſſus, & ſummâ Regiæ Majeſtatis clementiâ exceptus, cum maximo gaudio domum redij. Æquè feliciter res mihi ſucceſsit *die 9 Auguſti,* quo Eminentiſsimo Cardinali *Flavio Chiſio,* Pontificis Maximi ex fratre Excellentiſsimo Dn. *Mario Chiſio* Nepoti, deſiderium meum Summi pontificis ante diſceſſum alloquendi demiſsâ petitione aperui. Nam & promiſsionem audientiæ facilè impetravi, & eventus fortunatiſsimus reipsâ non multò poſt ſubſecutus eſt *die 20 Auguſti, S. Bernardo* ſacro, quo Maximus ille Chriſtiani Orbis Antiſtes & Chriſti in terrâ Vicarius, manè poſt privatam Sacroſanctæ Miſſæ celebrationem, clementiſſimè permiſit, ut ſolenni ſacrorũ pedum oſculatione devotiſſimum

affectum

affectum meum erga Sedem S. Petri & Eccleſiam Catholicam declararem. Quâ quidem in re præter Eminentiſſimum Cardinalem *Franciſcum Barberinum* egregiam mihi navarunt operam Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Viri Dn *Iacobus Ninius*, Supremus Sacri Cubiculi Præfectus, & Dn. *Wilhelmus Baro à Furſtenberg*, Cubicularius ſecretus & Trevirenſis atque Monaſterienſis Canonicus, quibus hoc nomine perpetuùm maximas debeo gratias. Quantâ verò humanitate Doctiſſimus pariter atque Sanctiſſimus Pontifex erga me uſus ſit, hinc poriſsimùm apparet, quòd, cùm dimidiam circiter horam elegantiſsimo ſermo latino de varijs ad ſtudia præcipuè literarum pertinentibus rebus mecum locutus eſſet, poſt acceptam Benedictionem abituro mihi mandaverit, ut ſequenti die poſt meridiem reverterer; ſimul expreſsè addens: *Se ipſum privatam Bibliothecam ſuam mihi monſtraturum.* Sed hanc tàm inſignem ac raram fortunam inſperatus aliquis Tragicus caſus mihi intercepit. XVI. Dum enim primo ejuſdem diei crepuſculo Eminentiſsimo Card. *Franciſco Barberino*, quid manè apud Pontificem Maximum actum eſſet, refero, contigit infauſta illa pugna inter præſidiarios milites *Corſicanos* & famulos *Legati Gallici*; ex quâ tanquam ex parvâ quâdam ſcintillâ magnum illud inter Summum Pontificem & Regem Galliæ exarſit bellicum incendium, quod necdum extinctum eſt. Sequenti *die 21 Auguſti* manè valedixi Eminentiſsimo Card. *Azzolino*; à meridie verò repetij Palatium Pontificale in monte *Quirinali*, non quidem, quòd ſperarem, me *Bibliothecam privatam* Summi Pontificis eâ die viſurum; ſciebam enim quàm vehementer præcedentis diei veſpertino tumultu tota aula turbata eſſet; ſed ut ſecundum mandatum, quod ex ipſo Pontificis Maximi ore acceperam, obedientiæ causâ vel fruſtrà me ſiſterem. Cùm igitur in Palatium veniſſem, accepi reſponſum, quale exſpectaveram, nempe *Sanctitati Suæ per negotia publica non vacare, ut Bibliothecam privatam ingrederetur: præſtitū autem hoc iri à Supremo Sacri Cubiculi Præfecto, ſi poſtero die circa idem tempus redirem. Die 22 Auguſti* manè inviſi ultima vice Sereniſsimam Reginam *Chriſtinam*; à meridie verò perluſtravi, præeunte ſuprà memorato Illuſtriſsimo Dn. *Ninio* Bibliothecam privatam Pontificis Maximi, ſelectiſsimis refertam libris impreſsis, nec non ſatis magno etiam inſtructam numero manuſcriptorum Codicum partim veterum, partim recentium, quibus Acta continebantur noſtri temporis, quorum Ipſe Summus Pontifex ante pontificalis faſtigij conſcenſionem non minima pars fuiſſet. Delectavit me autem hic inprimis, quòd

pro-

propria Pontificis Maximi manus in omnibus ferè appareret libris, & quòd eodem conſilio, quo ipſe in *Hiſtoriâ Literariâ* uſus ſum, paſſim vel in libris ipſis, vel in peculiaribus ſchedulis annotata cernerentur, quæ ad cujuſq; antiqui Scriptoris ætatem, vitam, & de ſcriptis ejus judicium pertinerent.

XVII. Poſtero *die 23 Auguſti*, cùm Eminentiſſimo Card. *Franciſco Barberino*, R. P. *Richardo*, alijſq; amicis valedixiſſem, intravi lecticam ſub principium noctis, & maligni æſtus evitandi causâ per totam noctem continuavi iter, donec cum primâ luce *Roſulum*, ſeu, ut vulgò appellatur, *Montem Roſeum* attingerem. *Die 24 Auguſti* prandio me excepit *Viterbium*, patria *Ioannis Annij Viterbienſis*, cujus (1) perniciosis æquè ac inſulſis Antiquitatum figmentis, quæ ſub *Beroſi, Manethonis, Megaſthenis, Archilochi, Myrſili Lesbij, Xenophontis, Philonis, Q. Fabij Pictoris, Catonis* & *C. Sempronij* veris ac claris nominibus, cum ineptis ſuis in propria commenta commentarijs, dolo malo divulgavit, omnium ferè Gentium Hiſtoria corrupta eſt. Qua de re non feciſſem mentionem, niſi ſummoperè mihi diſpliceret, quòd etiam in recentiſsimâ *Admirandorum Italiæ* Deſcriptione, quæ hoc anno in lucem prodijt, futiles iſtæ quiſquiliæ ac nugæ, tanquam veterum Autorum genuina ſcripta, paſſim in teſtimonium adhibeantur. *Viterbio* progreſſus, pernoctavi in *Monte Faliſco*, qui nunc *Monte Fiaſcone* dicitur. *Die 25 Auguſti* circa meridiem veni *Volſinium*, potentiſsimam olim Hetruriæ urbem, quam nunc *Bolſenam* nuncupant; proximâ autem nocte *Aquapendens* me retinuit. *Die 26 Auguſti* meridiavi in altiſsimo aſperrimoq; monte *Radicofani*, nec unquam in toto hoc itinere graviorem æſtum, quàm eo die me perpeſſum memini. Nocte proximâ quievi in oppido *S. Quirici*, & ſequenti *die 27 Auguſti* poſt meridiem adeò maturè attigi *Senas Iulias*, *Æneæ Sylvij* ſive Pontificis *Pij II.* patriam, ut quæ præ cæteris ibi ſpectatu digna ſunt, eâdem adhuc die obiter perluſtraverim. Hinc porrò intra biduum, nempe *die 29 Auguſti* perveni *Florentiam*, Hetruriæ metropolim, quam V. CL. *Philippus Cluverius*, ſi una excipiatur *Antverpia*, totius Europæ pulcherrimam prædicat. Ego verò ne *Antverpiam* quidem excipiendam exiſtimo, ſiquidem vel ſolus interfluens amnis majorem Urbi amœnitatem, quàm præterfluens conciliat. Cœterùm pulchritudini Urbis egregiè reſpondet incolarum humanitas vitæ, candor animi, ſolertia ingenij, elegantia ſermonis, amor literarum, aliæq; inſignes virtutes, quæ rarò conjunctim uno in populo inveniuntur. Primi, quibuſcum amicitiam ibi contraxi, fuerunt Nobiliſsimi Doctiſsimiq; Viri Dnn. *Carolus Da-*

(1) Vid. Raph. Volater. lib. 14. Anthropologiæ, Ludov. Viv. lib. 5. de tradend. diſciplinis, Bened. Perer. Commentar. in Danielem, Antõ. Poſſevin. Apparat. ad omniũ gentiũ Hiſtoriã ſect. 4. Seth. Calviſ. Iſagog. Chronolog. cap. 28. Ger. Ioan Voſſ. de Hiſtor. Græcis. lib. 1. cap. 13. Gilbert. Genebrard. Chronographiæ lib. 2.

tus

tus & *Antonius Magliabecus*, quorum benignitate poſtridiè, quàm
adveneram, ad Palatium honorificè deductus, Sereniſsimo Princi-
pi *Leopoldo* literas reddidi commendatitias, quas ab Eminentiſsimo
Card. *Franciſco Barberino* mecum attuleram. Similiter ſequenti
die 31 Auguſti apud Ipſum Sereniſſimum *Magnum Ducem Hetruriæ*
Ferdinandum II æquè facilem impetravi audientiam, &, quas ad
Serenitatem Ipſius habebam literas, debitâ reverentiâ obtuli. De-
prædicarem hîc utriuſq; Principis incredibilem clementiam & ſin-
gularem erga literas ac literatos affectum, cæteraſq; admirandas
virtutes, niſi illæ Tibi à multis annis notiſſimæ eſſent, ideoq; veteri
proverbio vetarer (1) γλαῦκ εἰς Ἀθήνας. Inter præcipua tantæ
benignitatis argumenta vel hoc præcipuè referendum cenſeo, quod
Sereniſsimus *Magnus Dux* non tantùm lubenter permiſerit, ut ad
celeberrimam *Bibliothecam Medicæam* mihi pateret aditus, verùm
etiam ſpeciatim mandaverit, ut, ſi quid ex præſtantiſsimis Codici-
bus Manuſcriptis, qui ibi adſervantur, vellem deſcribere, libera
ejus rei poteſtas à Supremo Bibliothecæ Præfecto mihi concedere-
tur. Perluſtravi itaq; *die 2 Septembris* eximium illum & nunquam
ſatis laudandum rei literariæ theſaurum ductu ſuprà memorato-
rum Humaniſsimorum Virorum Dnn. *Dati* & *Magliabeci*, & ex à-
nimo indolui, quòd ante *tredecim* annos in *primo* Italico itinere
fortunæ malignitas impediviſſet, quo minùs contemplatione ſplen-
didiſsimæ Urbis, & voluptate pervolvendæ tàm inſignis Bibliothe-
cæ fruerer. Cùm itaque jucundiſsimo illo omnigenæ eruditionis
ferculo, quantùm per anguſtias temporis eâ vice licebat, oculos
atque animum avidiſsimè paviſſem, contuli me deinceps ad cætera,
quæ intra & extra Urbem ſpectatu digna ſunt, perluſtranda, eaque
ratione integros quatuor ſubſequentes conſumpſi dies, maximam
percipiens delectationem, non tantùm ex magnificentiſsimorum
ædificiorum & rerum pretioſiſsimarum intuitu, verùm etiam ex fa-
miliari conſuetudine cum doctiſsimis Viris Dnn. *Andreâ Cavalcan-*
te, Franciſco Maria Ceſſino, Ferrante Cappono, Auguſtino Coltellino,
Ioanne Alfonſo Borello & *Michaele Ermino*, quorum benevolentiam
Dnn. *Carolus Datus* & *Antonius Magliabecus* mihi conciliaverant.
Quamvis igitur omnia, quæ in talium Amicorum comitatu ſpecta- XIX.
vi, jucundiſsima mihi fuerint, nihil tamen, ut verum fatear, æquè
me affecit, quàm vetuſtiſsimum illud & toto terrarum orbe ce-
lebratiſsimum *Pandectarum* ſive *Digeſtorum* Exemplar in mem-
brana (1) ſcriptum, quod primùm quidem, ut antiqui Piſanorum
Annales referunt, *Amalphi* ſupra omnem memoriam fuit aſſerva-

(1) Noctuas ferre Athenas.

(1) *Vid. Alberici Gentilis*

Diſputat. de Libris Iuris Civilis, capit. 3, cujus lemma De ſcripturâ Pandectarum Florentinarum; *& cap.* 4. de mutatis in Autographo Florentino.

tum; deinde autem anno Æræ Chriſtianæ 1137 in *Piſanorum* devenit poteſtatem, cùm ij Pontifici Maximo *Innocentio II* & Imp. *Lothario Saxoni* contra *Rogerium Normannum*, ab Antipapa *Anacleto II.* Siciliæ & Apuliæ Regem creatum, claſſe ſuâ egregiam navaſſent operam: demùm verò, poſteaquam *Florentini* ſtrenuitate nobiliſsimi Viri Gini Capponi A. 1406 *Piſas* ſubjugarunt, *Florentiam* translatum eſt. Vidi venerandũ hoc antiquitatis monumentum *die 4 Septembris*, & primo intuitu ex charactere alijſq; circumſtantijs animadverti, *mille* circiter annorum eſſe, & ſummùm ad ſeculum ab initio vulgaris Æræ Chriſtianæ *ſeptimum*, quod Imperio *Iuſtiniani I* ſive *Magni* proximè ſucceſsit, pertinere. Nam quod ad ipſam Imp. *Iuſtiniani* ætatem Exemplar hoc Pandectarum non ſit referendũ, evidentiſsimè apparet ex Titulo *de Legibus Senatuſq; conſultis*, alijſq; nonnullis locis, ubi contra Imperatoris conſtitutionẽ numeri librorum abbreviatè per notas, non verò integris vocibus, ſeu, ut ipſe Imperator loqui amat, *per literarum conſequentiam* ſcripti ſunt. Ipſa verba *l. Tanta circa Noſ. 2. §. Eandem autem pœnam. 22. C. de Vet. Iur. enucl.* huc pertinentia, ita ſe habent: *Eandem autem pœnam falſitatis conſtituimus & adverſus eos, qui in poſterum leges noſtras per ſiglorum obſcuritates auſi fuerint conſcribere. Omnia enim, id eſt, & nomina Prudentium, & Titulos, & Librorum numeros, per conſequentiam literarum volumus, non per ſigilla manifeſtari: ita ut, qui talem librum ſibi paraverit, in quo ſigla poſita ſunt in qualemcunq; locum libri vel voluminis, ſciat, inutilis ſe eſſe Codicis Dominum. Neq; enim licentiam aperimus ex tali Codice in Iudicium aliquid recitare, qui in quacunq; ſua parte ſiglorum habet malitias. Ipſe autem librarius, qui eas inſcribere auſus fuerit, nõ ſolum criminali pœnâ, ſecundum quod dictum eſt, plectetur; ſed etiam libri æſtimationem in duplum Domino reddat, ſi & ipſe Dominus ignorans talem librũ vel comparaverit, vel confici curaverit; quod & anteà à nobis diſpoſitum eſt, & in latina conſtitutione, & in græcâ quam ad legũ Profeſſores dimiſimus.* Hucuſq; Imp. Iuſtinianus. Cùm ergò Librarius, qui *Florentinum* Pandectarum exemplar ſcripſit, in jam citatam Conſtitutionis Imp. *Iuſtiniani* paragraphum nonnullis quidem locis peccaverit, maximâ tamen operis parte eidem Conſtitutioni ſatisfecerit, rectè colligitur, deſcriptum eſſe illud exemplar, cùm nec Imp. *Iuſtinianus* ampliùs ſuperſtes eſſet, nec tantùm temporis à morte Ipſius præterijſſet, quin Conſtitutionis de ratione deſcribendi Pandectas qualiſcunq; adhuc, ſive ex præterito metu, ſive ex tralatitiâ conſuetudine, ſupereſſet obſervantia. Cujus ſententiæ jam olim quoque

fuit V. CL. *Franciſcus Taurellius*, uti liquet ex Præfatione ad Lectorem, præfixâ editioni Digeſtorum, quæ ex *Pandectis Florentinis* accuratiſsimè repræſentata, duobus Voluminibus in fol. Florentiæ A. 1553 typis Laurentij Torrentini in lucem prodierunt. Verum de his ſatis. Revertor nunc ad iter meum, & ſimul etiam, *Chariſſime Stuſi*, ad Te. Nolim enim exiſtimes, nos Tui in tot doctorum Virorum conventu oblitos. Certè niſi modeſtiæ tuæ parcerem, referrem Tibi eximiæ eruditionis Tuæ honorificentiſsimam commemorationem, cùm ab alijs multis præclaris Viris Florentiæ factam, tùm verò inprimis ab inſigni Mathematico *Ioanne Alfonſo Borello*, qui diſcedenti mihi *Euclidem* ſuum *Reſtitutum* donavit, & à Nobiliſsimo Viro *Carolo Dato*, qui *Libri quinti*, *ſexti* & *ſeptimi Conicorum Apollonij Pergæi*, Paraphraſte *Abalphato Aſphabanenſi*, unà cum *Archimedis Aſſumptorum libro*, ex Codicibus Arabicis manuſcriptis Sereniſsimi Magni Ducis Hetruriæ, ab *Abrahamo Ecchellenſi Maronitâ*, & ſuprà memorato *Ioanne Alfonſo Borello*, linguâ latinâ & cum Notis, Florentiæ A. 1661 typis Joſephi Cochini in fol. editorum, duo mihi dedit exemplaria, quorum alterum ad *Te* mitterem, alterum verò Bibliothecæ meæ infererem. Quod reliquum eſt, ut *Italicis* illis *Athenis* qualecunq; commorationis meæ monumentum relinquerem, curavi amicorum rogatu ſeparatim uno quaternione ibi imprimi ſcriptorum meorum ab anno ætatis *decimo nono* uſque ad annum *triceſimum quartum* editorum *Indicem*, qui unà cum Appendice ſcriptorum, poſthac, volente Deo, edendorum, *ſecundo Rerum Hamburgenſium libro* in fine annexus eſt. Præparavi me deinde ad diſceſſum, &, cùm *die 6 Septembris* à Sereniſsimo Principe *Leopoldo* ad Illuſtriſsimum & Excellentiſsimum Principem *de Portia*, Supremum Cæſareæ Aulæ Præfectum, literas commendatitias accepiſſem, & pro omni in me collatâ benignitate debitas egiſſem gratias, profectus ſum poſtero die manè, retentâ eâdem illâ, quâ Româ delatus fueram, lecticâ, quod & mulos bonos, & lecticarium expertus eſſem fideliſsimum. XX.

XXI. *Circa* meridiem ejus diei in vico *Scarperiâ* prandi; poſteà verò relictis à tergo amœnis *Hetruriæ* locis, ſcandere occæpi *Apenninum*, & ſuperatis per anguſtam ac præcipitem viam ſupremi verticis ſaltibus non ſine horrore immenſarum à latere profunditatum, tandem principio noctis perveni *Fidentiolam*, quæ *Fiorenzola* vulgò dicitur. Poſtero die meridiavi *Lujani*; veſpere autem redij *Bononiam*. Remiſsâ deinde *Romam* lecticâ, conduxi currum, & *d. 10 Sept. Bononiâ* manè profectus, ſequenti nocte quievi *Concordiæ*; *die* autem *11 Septemb.* non multò poſt meridiem

C 2 perveni

perveni *Mantuam*, naturâ & arte munitiſsimam. Hinc porrò *die 12 Septembris* manè continuavi iter, & pomeridiano tempore *Veronam*, celeberrimam omni ævo Urbem ad fluvium *Atheſin*, adeò maturè attigi, ut vetuſtum *Amphitheatrum*, cæteraſque inſigniores antiquitates eodem die commodè perluſtraverim. *Die 13 Septembris* ex latiſsimis *campis Veronenſibus* converti iter ad *Rhæticas Alpes*, & ingreſſus horrendas illas anguſtias, quæ vulgò *la Chiuſa* appellantur, perrexi juxta *Atheſin* à læva comitem, inter continua altiſsimorum montium juga, eodemq; die poſt meridiem ex *Venetâ* ditione in *Teriolenſem* totius Europæ maximum Comitatum tranſiens, Germaniam meam lætanti animo, & quid neſcio boni præſagiente, redux ſalutavi. *Die 14 Septemb.* haud multò poſt meridiem ſpectavi in tranſitu *Tridentum*, ultimo Concilio Oecumenico celeberrimum, atque hinc inter *Tridentinas Alpes Atheſin* ſequens, intravi proximo *die 15 Septemb.* initio noctis *Bolzanum*, quod vulgò *Botzen* appellatur, & quater quotannis ab Italicis, Germanicis & Illyricis mercatoribus magnâ frequentiâ inviſitur propter quadruplices nundinas; quarum quidem *autumnales* illo ipſo tempore, quo ego adveni, celebrabantur. Conſtitueram hic alium conducere currum vel lecticam; ſed cùm neutram continuandi itineris occaſionem in præſenti invenirem, nec ultra unum diem, quo cambij causâ neceſſariò mihi ſubſiſtendum erat, in negotiantium turbâ vellem commorari, corripui oblatam publici curſus equeſtris conditionem, & *d. 17 Septemb.* manè profectus, novies intra biduum mutatis equis, *die 18 Septemb.* poſt meridiem admodum maturè perveni

XXII. *Oenipontem*, Comitatus Teriolenſis metropolin. Sequentem *diem 19 Septemb.* quòd Sereniſſimus Archidux *Ferdinandus Carolus* venationis causâ abeſſet, impendi perluſtrationi Urbis, in peramœna Alpium valle ad Oenum ſitæ, & inter cætera ſpectatu digna, *Eccleſiam* quoque vidi *Franciſcanorum*, cognomine *S. Crucis*, in qua A. 1655 die tertio Novembris, Sereniſſima Sueciæ Regina *Chriſtina* coram Avunculo meo *Luca Holſtenio*, à Pontifice Maximo *Alexandro VII* in Germaniam ad hoc extra ordinem & cum plenâ poteſtate miſſo, publicam Catholicæ Religionis fecit profeſſionem. *Die 20 Septembris*, cùm Sereniſſimus Archidux *Ferdinandus Carolus* in Urbem redijſſet, adij Illuſtriſſimum *Comitem de Ehrenburg*, Supremum Cubiculi Archiducalis Præfectum, &, quâ par erat, reverentiâ, indicavi, quòd ad Sereniſſimum Principem *Româ* attuliſſem literas. Quæ res adeò feliciter mihi ſucceſſit, ut manè ſequentis *die 21 Septemb.* audientiæ ergo in Palatium accerſitus fuerim. Reddidi

didi

didi itaq; tunc debita veneratione, quas ab Eminentiſſimo Cardinale *Franciſco Barberino* acceperam commendatitias literas, &, cùm per dimidiam circiter horam cum Humaniſſimo ſimul atque Fortiſſimo Principe, quem inopinata mors *ultimo ſuperioris anni die* abſtulit, de varijs rebus collocutus eſſem, ac perbenignam impetraſſem dimiſſionem, diſceſſi *eodem* adhuc *die* circa veſperam *Oeniponte*, comitatus juſſu Sereniſſimi Archiducis à Nobiliſſimo Viro Joanne *Henrico Steigero*, Conſiliario Ærarij Superioris Auſtriæ; cum quo duarum horarum ſpatio principio noctis perveni *Halam*, inter altiſſima Alpium juga ad lævam *Oeni* in *Danubium* defluentis ripam ſitum oppidum. Sequenti *die 22 Septembris* equitavi cum jam memorato Dn. *Steigero* ad *Salis-fodinas*, milliare Germanicum *Halâ* diſtantes, & conſcenſo altiſſimo monte, metallicorum indui habitum, ductoremq; cum tæda & lampade præeuntem ſecutus, in viſceribus *Alpium* inter ſaxorum & Salis foſſilis permixtos parietes, arte ac induſtriâ humanâ cuniculatim fabrefactos, ultra duarum horarum ſpatium, nunc aſcendendo, nunc deſcendendo, oberravi. In harum fodinarum ad hoc effoſſas foveas immittitur certis temporibus aqua dulcis, quæ cùm aliquot menſium ſpatio juſtam attraxit ſalſedinem, derivatur ex monte per ligneos canales ſupra Urbem in ferreas incredibilis magnitudinis ac pretij ſartagines, in quibus, adminiculo ignis & follium aquariâ rotâ motorum inflammatis, excoquitur, & exſiccata, minuta, atque in candorem nivis redacta, in oblongis acuminatis alveis pyramidatim conſtipatur. Certè ſi præter *Romam ſubterraneam*, quam A. 1648 perluſtravi, monſtroſiſſimum illud Ducatus Brunſuicenſis nativum *antrum, Baumanni* vulgò cognominatum, & per præcipites ſaxoſorum anfractuum meatus longitudinem quatuor milliarium Germanicorum adæquans, in quod cum honoratiſſimo Cive Brunſvicenſi D. *Joanne Philippo Rumpio* A. 1657 Kal. Maij Styl. vet. deſcendi, ſi, inquam, *Roma Subterranea* & *Baumannicum antrum* excipiantur, nullum unquam ſubterraneum locum *Salis-fodinis Hallenſibus* ſpectatu digniorem reperi. His itaq; viſis, *Halam* redij, & quicquid diei ſupererat, impendi contemplationi cùm aliarum rerum notabilium, tùm verò inprimis Archiducalis *fabricæ monetariæ*, in quâ aureis, argenteis, æreiſq; nummis non flando feriundove, ſed machinæ ferreæ, aquaria rotâ circumactæ, impetu peculiares ſui Characteres compendioſiſſimè expeditiſſimeque imprimuntur. Poſtridie ejus XXIII.
diei Nobiliſſimus Dn. *Steigerus*, cùm pro honore jucundiſſimi comitatus maximas Ipſi egiſſem gratias, *Oenipontem* curru ſuo reverſus

 ſus

ſus eſt: ego verò propriam mihi conduxi naviculam, & receptis in eam præterordinarios duos nautas quatuor alijs robuſtis viatoribus, qui hâc conditione gratis mecum veherentur, ut accelerandi itineris causâ remos ducerent, reliqui *Halam* mane *die 24 Septembris*, & in *Oeno* Tariolenſis Comitatus atque Ducatus Bavariæ confinia prætervectus, pernoctavi è regione oppiduli *Roſenhaim* in ruſtico quodam tugurio. *Die 25 Septembris* prandi *Waſſerburgi*, & ſequenti *die 26 Septemb.* poſt meridiem appuli *Paſſavium*, olim *Batava Caſtra* dictum, graviſsimoque ſuperioris anni incendio miſerè deformatum. Ingreſſus deinde *Danubium*, perveni circa mediam noctem *Aſchavium*. *Die 27 Septemb.* prandi *Linzij*, ſeu potiùs, ut oppidum hoc in antiquâ Notitiâ utriuſq; Imperij bis appellatur, *Lentiæ*; à meridie autem tranſij famoſa illa duo *Danubij* loca, quæ tanquam Siculi freti *Scylla* & *Charybdis* metuuntur, & vulgò *der Strudel und der Würbel* appellantur. His feliciter ſuperatis, tranſegi noctem *Steinæ*; ſequenti autem *die 28 Septembris*, qui feſtum S. Michaëlis proximè præcedebat, ſumo mane *Cremonā Auſtriæ* ſive *Crembſam* prætervectus, circa tertiam horam pomeridianam ſalvus

XXIV. atque incolumis *Vindobonam* redij. Reverſus inveni aulam in apparatu itineris. Quarto enim pòſt die, qui *ſecundus* erat *Octobris*, petijt S. Cæſ. Majeſtas *Neoſtadium*, nec ante *vigeſimum ſeptimum* ejuſdem menſis diem inde remigravit. Ego interim inſinuavi me in amicitiam Reverendiſsimi Viri Dn. *Matthæi Mauchteri*, SS. Theologiæ Doctoris & Canonici Baſilicæ Cathedralis Vindobonenſis, nec non S. Cæſ. Majeſtatis tunc temporis *Bibliothecarij*, qui me *die 6 Octobris* primâ vice ad *Bibliothecam Cæſaream* deduxit, ut tanquam tranſiens hoſpes literarium illum Theſaurum obiter cernerem. Quòd enim Deus in Præfecturâ Bibliothecæ ſucceſſorem ipſius me deſtinâſſet, nec illi, nec mihi adhuc erat cognitum. Intravi itaque, &, quocunque me verti, cum maximo animi dolore in tàm miſerabili & deplorando eam deprehendi ſtatu, ut ſummo jure in *Æſopici Gallici* querula hæc apud *Phædrum* verba eruperim:

Jaces indigno, quanta res, dudum loco.
O ſi quis pretij cupidus tractâſſet tui!
Olim rediſſes ad ſplendorem maximum.

Triſtiſsimus ergo in hoſpitium redij, & totam doloris vehementiam in malignitatem converti fortunæ, quæ *Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ*, inde ab Imp. *Friderici III* temporibus novem ſubſequentium Imperatorum diligentiâ & impenſis collectæ, eam invidiſſet famam & dignationem, quam aliæ vel pares, vel longè inferiores,

riores, partim externo tantùm ornatu, partim adulatione deſcribentium eſſent conſecutæ. Augebat hanc mœſtitiam iniquitas propriæ ſortis meæ; quòd nempe ſelectiſsimâ Bibliothecâ meâ, quâ *Hamburgi* uſus fueram, privatum me viderem, nec prævidere poſſem, quo tandem orbis terrarum angulo à peregrinatione eſſem quieturus. Dum igitur in hoc variarum curarum æſtu verſor, & XXV.
incertus conſilij de futuro rerum mearum ſtatu delibero; ſubſiſteremne in *Superiori Germaniâ*, an *Belgicas Provincias*, quater olim à me peragratas, aut *Galliam* ter jam luſtratam, aut *Italiam* bis cognitam repeterem, ecce de improviſo tanquam cœlo delapſæ Reverendiſsimi Patris *Philippi Milleri* literæ, quarum argumentum; *ut ſcripto indicarem, quo pacto S. Cæſ. Majeſtati in aula ſuâ deſiderarem inſervire.* Erectus hoc inopinato nuntio, quàm potui maximo candore & ſimplicitate reſpondi, *præcipuum hoc meum ſemper fuiſſe votum, ut occaſionem aliquando nanciſcerer S. Cæſ. Majeſtati, & Auguſtiſſimæ Domui Auſtriacæ ſtudijs meis & humillimo obſequio pro virili parte inſerviendi; ideoq́, ſi S. Cæſ. Majeſtas in aulam ſuam me recipere dignaretur, re ipsâ me ſinceritatem devotiſſimi iſtius affectus declaraturum, partim quidem in reſtauranda Bibliothecâ Cæſareâ, quæ omnem ferè priſtinum ſplendorem & uſum perdidiſſet; partim verò in conſcribendâ Hiſtoriâ tàm generali totius Germaniæ, quàm ſpeciali Auguſtiſſimæ Domus Auſtriacæ, quòd utrumq́ argumentum hactenus nondum ſatis eſſet pertractatum; partim deniq́ in continuandâ Hiſtoriâ Litterariâ, utpote cujus Primitijs primum ad benevolentiam Cæſaream mihi feciſſem aditum.* Cùm ad hunc modum reſcripſiſſem, cognovit haud multo pòſt Ipſa S. Cæſ. Majeſtas petitionem meam atq; propoſitum, nec defuit felix ſucceſſus, quòd unà cum Reverendiſſimo Patre *Millero* maximus Mecœnas meus, Illuſtriſſimus atq; Excellentiſſimus Supremus Sacri Cubiculi Præfectus, *Comes Ioannes Maximilianus de Lamberg*, pro incredibili ſuo publicæ utilitatis ſtudio ſummam hujus negotij curam gereret; adjuvante ſimul etiam auctoritate ſua, quâ apud S. Cæſ. Majeſtatem propter eximiam eruditionem & prudentiam in Intimo Conſilio plurimùm pollet, Illuſtriſſimo atque Excellentiſſimo Principe *Ioanne Wichardo Duce de Auerſperg*, Auguſtiſſimi Romanorum Regis *Ferdinandi IV* Supremo olim Aulæ Præfecto, cui hoc nomine juxta mecum non tantùm inſtaurata Cæſarea Bibliotheca, ſed & omnes, qui poſthac fructum inde percipient, perpetuas debent gratias. *Die* igitur *27* XXVI.
Novembris à jam memorato Illuſtriſſimo atque Excellentiſſimo *Comite de Lamberg*, Supremo Sacri Cubiculi Præfecto, humaniſſimè

accer-

accerſitus, & unà cum R. P. *Gabriele Bucelino.* Monaſterij Weingartenſis Priore, cùm alijs ſcriptis, tùm præcipuè *Germaniæ Sacræ atq; Profanæ* à ſe editis Voluminibus percelebri, ad prandium invitatus, optatiſſimum hunc accepi nuntium, *S. Cæſ. Majeſtatem clementiſſimè decreviſſe, ut Hiſtoriographi & Vice-Bibliothecarij munus mihi committeretur cum honorifico & ſufficiente Salario annuo, atq; inſuper cum certâ promiſſione futuræ ſucceſſionis in integrâ Bibliothecæ Præfecturâ, ſi priùs Reverendiſſimo Dn. Mauchtero pro voluntariâ & abſolutâ ceſſione totius Bibliothecæ condigna compenſatione eſſet ſatisfactum.* Finito prandio, acceſſi ductu Ejuſdem Illuſtriſſimi *Comitis* unà cum R. P. *Bucelino* Palatium, &, ut jampridem unicè optaveram, primâ poſt reditum vice cum *Ipſa S. Cæſ. Majeſtate* locutus ſum. Ut enim prudentiſſimus Imperator inſigni quodam & ſempiternâ memoriâ digniſſimo exemplo Poſteritati teſtatum relinqueret, quanto amore literas & literatos proſequeretur, *Ipſe* per integras tres horas, & quidem continuè ſtando, inæſtimabile *Cimeliarchium Cæſareum* tàm *Sacrum*, quàm *Profanum*, benigniſſimè, &, quantum ſalvâ Majeſtate fieri poterat, familiariter nobis monſtravit. Injuriam profectò facerem tanto theſauro, ſi obiter & aliud agendo eum vellem deprædicare. Integro enim ac peculiari volumine is deſcribendus eſt, nec dubito, quin S. Cæſ. Majeſtas lubenter hoc permiſſura ſit. In præſens itaq; non poſſum tanti momenti rem compendioſiùs conſtringere, quàm ſi Cimeliarchium illud appellavero *Admirandorum Naturæ & Artis abſolutiſſimam Epitomen.* Certant enim ibi tanquam in Palæſtra ſuâ Natura & Ars, & quidem tantâ intentione virium, ut difficile dijudicatu ſit, utra ab alterutra vincatur. Certat ibi dignitas rerum cum copiâ, copia cum ordine, & controverſioſum quodammodo eſt, ipſane rerum præſtantia, an numerus, an diſpoſitio majorem admirationem mereatur. Verumenimverò inter omnia, quæ tunc temporis vidi, nihil mihi vel jucundius, vel admirabilius fuit *Ipſo Cæſare;* quippe qui Imperatoriam Majeſtatem privatâ quâdam humanitate ita condiret, ut amabilis æquè eſſet ac venerabilis. Præibat Ipſe vivaciſſimâ quâdam alacritate ſingula armaria pretioſiſſimis, vel omni pretio dignioribus cimelis triplicatò vel quadruplicato referta diſtinctè percenſens, & vel nativam, vel artificialem, vel utramque cujuſq; Cimelij raritatem atque excellentiam adeò expeditè, accuratè & facundè enarrans, ut nec tenacitatem memoriæ, nec judicij acumen, nec promptitudinem eloquij ſatis admirari potuerim. Exulto etiam nunc gaudio, cùm recordor, quantâ ſuavitate & quàm can-

dido

dido affectu mitiſſimus Imperator nonnulla præ cæteris ſpectatu digna propriâ mihi tradiderit manu, quo meliùs atque exactiùs propiori intuitu ea contemplarer. Loquitur autem S. Cæſ. Majeſtas, ut & hoc obiter addam, non tantùm *Germanicè, Italicè, & Hiſpanicè*, verùm etiam *Latinè*, nec emendatè ſolum, ſed & eleganter, quamvis ſine præmeditatione id fiat ex tempore. Cæterùm etſi XXVII
ſpecialis ſingulorum Cimeliorum deſcriptio in aliud tempus differenda ſit, facere tamen non poſſum, quin in anteceſſum unius hîc faciam mentionem, quo univerſus terrarum Orbis in illo genere nec habuit unquam, nec habet excellentius. *Patera* illud eſt *ex una orientali Achate* artificioſiſſimè fabrefacta, cujus diameter inter duarum anſarum extremitates longitudine ſuâ adæquat integram *ulnam Vindobonenſem minus duobus digitis*. In concavâ ejus parte cernitur non admiranda tantùm, ſed & adoranda Inſcriptio, nativo macularum concurſu figurata, quâ ipſa rerum Natura inæſtimabilem illam ſtupendæ magnitudinis gemmam *Chriſto*, tanquam DEO ac Conditori ſuo, dedicavit ad hunc modum: B. XRISTO R. S. XXX; hoc eſt, ut ego interpretor, BEATORI ORBIS, vel BEATORI GENERIS HUMANI CHRISTO, REGI SEMPITERNO, TRI-UNO CRUCIFIXO. Quamvis enim prima ſingularis litera B per epithethon *Beatus* explicari poſſit, quemadmodum Dij à Græcis & Latinis Scriptoribus paſſim μάκαρες ſive *Beati* appellantur; convenientius tamen mihi videtur, Chriſto *Beatoris* potiùs, quàm *Beati* cognomen tribuere, quippe cùm *beare beatum facere* ſignificet. Huc pertinet Horatianum illud 4. Carmin: Od. 8.

Dignum laude Virum Muſa vetat mori.
Muſa Cœlo beat.

Ubi *beare Cœlo* eſt *Cœli participem facere:* Appoſitè igitur Chriſtus hoc ſenſu à *beando*, tāquam *Auctor beatitudinis cœleſtis, Beator Orbis* vel *Beator generis humani* nuncupatur; eâque forma Romani olim Jovem ſuum à *ſervando, conſervando, propugnando, vincendo, ſiſtendo, defendendo* & *ſoſpitando, Servatorem, Conſervatorē, Propugnatorem, Victorē, Statorem, Defenſorem* & *Soſpitatorem* cognominarunt. Huc quoque faciunt antiquæ Inſcriptiones PACATORI ORBIS, RESTITUTORI ORBIS, RECTORI ORBIS, SALUS GENERIS HUMANI, & complures ejuſdem generis aliæ, quæ paſſim in vetuſtis numiſmatibus reperiuntur. De reliquo minimè dubium eſt, quin in ultimis tribus Inſcriptionis ἀχειροποιήτοις ſive *non manufactæ* characteribus, qui totidem *decuſſatas cruces* re-

præſentant, partim quidem *Sanctiſſimæ Trinitatis*, partim verò etiã *Paſſionis Chriſti* myſterium latitet. Refert quidem Plinius Hiſtoriæ Naturalis libro 37, capite 1, *Pyrrhum* Epirotarum Regem, qui tertio ante Æram Chriſtianam ſeculo adverſus Romanos bellum Tarentinum geſſit, *habuiſſe Achatem, in quâ novem Muſæ & Apollo Citharam tenens ſpectarentur, non arte, ſed ſponte naturæ ita diſcurrentibus maculis, ut Muſis quoque ſingulis ſua redderentur inſignia;* ateninverò quanto præſtantior Cæſarea hæc eſt Achates, quæ miraculosâ Inſcriptione ſuâ *Chriſtum* nobis prædicat, & fidem implet verborum Ipſius apud S. Lucam Evangeliſtam cap. 19 verſ. 40. Λέγω ὑμῖν, ὅτι, ἐὰν ἔτοι σιωπήσωσιν, οἱ λίθοι κεκράξονται. h. e. *Dico vobis, quia, ſi hi tacuerint, lapides clamabunt.* Quare ſine controverſiâ princeps illi tribuendus eſt locus in earum gemmarum numero, de quibus *Plinius* in Procemio jam citati libri generatim ait, *unam aliquam ſatis eſſe ad ſummam abſolutamq́ Majeſtatis Naturæ rerum in arctum contractæ contemplationem, ideoq́ eas extra pretia ulla taxationemq́ humanarum opum cenſeri.* Quo meliùs ergo & accuratiùs totum illud eximium Naturæ miraculum ab omni parte conſideraretur, jubebat S. Cæſ. Majeſtas ab Illuſtriſſimo Comite *Leslæo*, qui unà aderat, ex peculiari thecâ ſua illud depromi, & *convexam* ejùs *partem* cum *baſi* ſpectandam exhiberi. Addebat inſuper *Imperator*, magnitudinem illius Pateræ à nonnullis Cimeliorum mangonibus, qui eam non vidiſſent, impoſſibilem eſſe credi tam, ideoq; ſe illam curaſſe ſumma diligentiâ delineari, & æri inciſam in lucem edi, ne quis de veritate rei alioqui vix credibilis ampliùs poſſet dubitare.

XXVIII. Spectavi deinde, quantum per anguſtias reſidui diei fieri poterat, cùm alia plurima (1) ἀξιομνημονεύματα, tùm præcipuè rariſſimam Syllogen *quindecies mille & nongentorum quadraginta* ſelectiſſimorum veterum Aureorum, Argenteorum & Æreorum *Numiſmatum;* nec non admirandam illum *Chriſti Crucifixi* effigiem, aliquot ab hinc ſeculis in pago *Eppendorff* haud procul *Hamburgo* ex radice crambes, ſub quâ villica quædam horti fœcundandi causâ conſecratam Hoſtiam impiè defoderat, miraculosè enatam, quæ in Urbe Hamburgenſi, donec ea à fide Catholica ad Lutheraniſmum defecit, religioſiſſimo cultu adſervata; anno autem 1602 ingeneratâ Auguſtiſſimæ Domus Auſtriacæ pietate ad Imp. Rudolphum II, qui per Legatum ſuum Generoſiſſimum Baronem *Ehrenfridum à Munckelwitz* à Senatu Hamburgenſi ardentiſſimè hoc petierat, primò quidem *Pragam*, ac demum *Vindobonam* translata eſt. Perluſtrato hâc ratione Cimeliarchio donavit *Cæ-*

(1) Memoratu digna.

ſar

ſar mihi, priuſquam diſcederem, exemplar magnæ illius *Tabulæ* æri inciſæ, quâ ſuprà memorata *Patera ex Achate* ſecundùm juſtam magnitudinem ſuam; & *vaſculum* admirandi artificij *ex uno integro Smaragdo* elaboratum, conjunctim ita exhibentur, ut è regione hujus paginæ videre eſt. * Cui muneri S. Cæſ. Majeſtas aliud inſuper addidit conſimile munus, *tabulam* nempe æri inciſam altitudinis ſeſquicubitalis cum hâc inſcriptione:

HANC AB ALBERTO DURERO OLIM DEPICTAM,
ET
DECIES MILLE MARTYRUM PASSIONEM ET MORTEM
EXPRIMENTEM TABULAM,
QVAM
AUGUSTISSIMI CÆSARES
SUO DIGNAM THESAURO CENSUERUNT,
INVICTISSIMUS IMPERATOR
LEOPOLDUS PRIMUS
AD PROTOTYPI PROPORTIONEM
A NICOLAO VAN HOYE SUO PICTORE
DELINEARI,
ET A FRANCISCO VANDENSTEEN SUO CÆLATORE
SCULPI JUSSIT
ANNO M. DC. LXI.

Auctus duplici hoc inſigni dono, admiratione pariter & gaudio plenus in hoſpitium reverti, & humilitatem atq; modeſtiam *Cæſaris* cum ſuperbiâ & faſtu infimorum magiſtratuum in liberis Civitatibus comparans, gratias agere cœpi adverſæ fortunæ, cujus ductu in adeò clementis & benigni Principis manus incidiſſem. Et certè quod ad commoditatem vitæ attinet, nihil mihi deinceps defuit præter uſum Bibliothecæ meæ, viginti annorum ſpatio diverſis locis collectæ, quâ tanquam familiari & expedito inſtrumento, in publicis privatiſque ſtudijs *Hamburgi* uſus fueram. Quanquam enim *die 14 Decembris* coram Illuſtriſſimo atque Excellentiſſimo Cæſareæ Aulæ Supremo Præfecto, ut S. Cæſareæ Majeſtatis *Hiſtoriographus* & *Vice-Bibliothecarius* ſolenne fidelitatis juramentum præſtiterim; *Bibliothecâ* tamen *Cæſareâ* liberè uti non potui ante *diem 26 Maij* præſentis anni 1663, quo per traditionem clavium plena Bibliothecæ Præfectura in poteſtatem meam tranſijt. Interim igitur, utcunq; ſine neceſſario librorum adjumento poteram, præviâ quadam meditatione partim ad futuram XXIX.

ram *Bibliotheca Cæſareæ* inſtaurationem, partim & ad compoſitionem *Annalium Rerum Germanicarum* & ſcriptionem *Hiſtoriæ Auſtriacæ* me præparavi, ac, quicquid doloris ex propriorum librorum defectu proficiſcebatur, mitigavi liberrimo acceſſu ad lectiſſimam Bibliothecam fidiſſimi Mecœnatis mei Illuſtriſſimi Comitis *Joannis Maximiliani de Lamberg*, qui pervolvendæ ejus & in Catalogum referendæ licentiam ultrò mihi obtulerat.

XXX. Cœpit intereà annus hic 1663, & unà cum eo acrior de inſtaurandà *Bibliothecâ Cæſareâ* deliberatio; urgente inprimis *Ipſo Imperatore*, ut omnia utiliſsimi iſtius propoſiti obſtacula quibuſcunque modis tollerentur è medio. Ad hunc itaque finem *ipſo die 5 Aprilis* Bibliothecam inviſit, ut, quo in ſtatu ea eſſet, ſuis cerneret oculis. Narravi tùm fortè *Cæſari*, extitiſſe olim inter antiqua Auguſtiſſimæ Domûs Auſtriacæ cimelia *annulum ex auro, quod Magi Chriſto obtulerunt*, fabrefactum, cujus admiranda hæc eſſet virtus, ut tempore belli oraculi inſtar conſuleretur, & victoriam inſolito ac plus quàm naturali ſplendore portenderet; cumque altari impoſitum, cùm A. 1323 coram Imp. *Friderico* Imp. Rudolphi I nepote, ante initium infelicis prælij cum Imp. *Ludovico Bavaro* ſacrum celebraretur, ex oculis omnium evanuiſſe, & tandem poſt multos annos in Auſtria repertum atq; *Alberto Contracto* fuiſſe redditum: ſimul etiam addidi, vidiſſe me nuper in *Cimeliarchio Cæſareo* inter cætera venerandæ Antiquitatis monumenta *annulum aureum vetuſtiſſimum*, in cujus oblongâ palâ loco gemmæ literæ quædam eſſent ſculptæ, quarum duæ priores M. A.; ideòq; operæ pretium videri, ut inquireretur, quomodo tota ſe haberet inſcriptio, & an hic forſan ille eſſet Imp. *Friderici* deperditus annulus.

XXXI. Relictâ igitur Bibliothecâ, juſſit *Cæſar*, ut ſe comitarer in Cimeliarchium, quòd *Ipſe* jam memoratum annulum accuratiùs vellet contemplari. Quo facto, deprehendi integram illam Inſcriptionem his quinq; conſtare literis MATER: de quarum interpretatione licet necdum quidquam certi aſſerere auſim, veriſimile tamen mihi videtur, eas eſſe duas priores ſyllabas vel abbreviati gentilitij nominis MATERNII, vel familiaris cognominis MATERNI, vel gentilitij agnominis MATERNIANI, & aut MATERNIUM, aut MATERNUM, aut MATERNIANUM aliquem *annulo* hoc *ſignatorio* olim auſum fuiſſe. Nam quòd antiquitùs apud Græcos & Romanos annulis ſignatorijs nomina Dominorum, qui ijs uterentur haud raiò vel integrè, vel abbreviatè inſculpta fuerint, notius eſt, quàm ut probatione indigeat.


geat. Si quis verò eâ de re dubitet, is conſulat *Gorlæum*, *Kirchmannum*, *Licetum*, aliosq; autores, qui ex profeſſo ſcripſerunt *de veterum annulis*, eorumq; ectypas imagines in lucem ediderunt. Quod porrò autem ad *Materniam* gentem & familiam *Maternam* attinet, utriusq; in vetuſtis monumentis ſæpè fit mentio. Ex *Maternia* enim *gente* fuerunt *Maternius Pardus*, *Maternius Perletus*, *A. Maternius Nemauſus*, *Maternia Vrbana*, *Maternia Benigna*, & *M. Maternius Quintianus*, quorum mentio in antiquis Inſcriptionibus apud *Petrum Apianum* & *Ianum Gruterum* reperitur. Ex *familiâ* autem *Maternâ* fuerunt *Materna Canonis filia*, & *Materna Catulli filia*, quarum meminerunt antiquæ Inſcriptiones magni Syntagmatis Gruteriani; ut & *Maternus I C*, & municeps M. Valerij Martialis, ad quem extat epigramma ipſius trigeſimum ſeptimum libri decimi; *Maternus*, ad quem extat Reſcriptum Imp. Alexandri Severi *l. Si intra. 8. C. de non numerat. pec.*; *Materna*, ad quam extat Reſcriptum Impp. Diocletiani & Maximiani, *l. A marito. 18. C. de donat. int. Vir & Vxor.*; *Maternus*, ad quem extat Reſcriptum Imp. Conſtantini, *l. Nemo ambigit. 10. C. de acquir. & retin. poſſeſſ.*; *Maternus* miles, quem Herodianus refert propter inſidias Imp. Commodo ſtructas capite pœnas dediſſe; *Maternus Sophiſta*, quem Dio Caſſius tradit ab Imp. Diocletiano occiſum, quòd exercendi ſui causâ declamaſſet in Tyrannos; *Julius Firmicus Maternus ſenior*, cujus extat egregium opuſculum *de Myſterijs & erroribus profanarum Religionum* ad Impp. Conſtantinum & Conſtantem Imp. Conſtantini M. filios; & deniq; *Julius Firmicus Maternus junior*, natione *Siculus*, qui itidem ſub Imperio filiorum Imp. Conſtantini M. vixit, & *Aſtrologiæ Judiciariæ libros octo*, qui etiam nunc ſuperſunt, compoſuit. Profectò ſi liquidò conſtaret, alterutriùs ex duobus hiſce poſterioribus *Maternis* hunc fuiſſe annulum ſignatorium, maximi certè is foret pretij, non tantùm ratione vetuſtatis, verùm etiam reſpectu dominorum relictis ingenij monumentis adeò celebrium. Verùm de his plus ſatis. Quod ſupereſt, egreſſus XXXII *Cæſar* Cimeliarchio, priusquàm in Cubiculum reverteretur, oſtendit mihi in proximo ambulacro exemplar ligneum *novi* iſtius *Ædificij*, quod in uſum *Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ* poſthac, volente Deo, ac permittente temporum ſtatu, ædificabitur; & quidem loco peramœno ac commodo, nempe in contiguâ Palatij Imperialis areâ, *exercitationi equeſtri* deſtinatâ, ubi ſupra Urbis murum ex horto penſili tàm ſeptentrionem versùs in Urbem, quàm in meridionalem Suburbanam regionem liberrimus utrinq; proſpe-

ctus eſt. Fecit tunc quoq; *Cæſar* inter alia mentionem pervetuſti gentilis *Sarcophagi*, qui cum æneis nonnullis Antiquitatum reliquijs & inſcriptione laminæ aureæ inciſâ, ſuperiori anno 1662, d 28. Januarij, cùm fundamenta Novæ Appendicis Palatij Cæſarei aperirentur, fortuitò inventus eſt. Indicanti igitur mihi haud obſcurè, quanto flagrarem deſiderio videndi jam memoratum *Vindobonæ veteris* monumentum, mandavit *Cæſar*, ut ſequenti die, horâ octavâ matutinâ, ad *Se* redirem. Quod cùm debito obſequio feciſſem, tradidit *Ipſe* mihi delineationem inventarum Antiquitatum, ſeptem æneis laminis inciſam, &, repetitâ inventionis narratione, ſubjunxit, *fore ut brevi ipſum delineationis æri inciſæ Archetypum in Pinacothecâ Sereniſſimi olim Archiducus Leopoldi Guilielmi*
XXXIII *ſpectandum mihi exhiberet*. Præterijt deinde, quicquid ſupererat menſis *Aprilis*, & maxima pars menſis *Maij*, donec tandem optatiſſimus ille, nec mihi tantùm, ſed univerſæ rei literariæ feliciſſimus illuxit dies, quo *plena Bibliothecæ Cæſareæ Præfectura* in poteſtatem meam tranſijt. *Die* enim *vigeſimo ſexto* jam dicti menſis *Maij*, cùm Reverendiſſimus Dn. *Matthæus Mauchterus* honorificum deſideratæ compenſationis Decretum à S. Cæſ. Majeſtate accepiſſet, tradidit is claves Bibliothecæ Cæſareæ ſuprà aliquoties memorato, & ſæpiùs poſthac laudando Illuſtriſſimo *Comiti de Lamberg*, Supremo Præfecto Sacri Cubiculi, & ad hunc actum ſpeciatim delecto; Hic verò ſine mora in præſentiâ Deceſſoris mei eaſdem claves nomine *Cæſaris* mihi porrexit, & cum clavibus *totam Bibliothecæ Præfecturam*, omniaq; illi annexa *privilegia* & *jura* concredidit. Adeptus igitur egregiam hanc de Auguſtiſſimâ Domo Auſtriacâ, & univerſo Orbe Chriſtiano benè promerendi occaſionem, illo ipſo adhuc die Sabbathi poſt meridiem primâ vice ſolus intravi Bibliothecam, & Deum ac Beatiſſimam Dei Genitricem ſupplex rogavi, ut ad ſuſceptum munus rectè ac feliciter adminiſtrandum volentes mihi eſſent atque propitij. Manum ſimul etiam admovi operi, & qualitercunq; cœpi prætentare, quid in abſconditis literarij illius Gazophylacij penetralibus latitaret. Inveni autem theſaurum ſpe ac voto majorem & juſtâ dignum Hecatombe, ſed tanto ſepultum pulvere, & tàm lacero, ſqualido & confuſo habitu deturpatum, ut manifeſtiſſimè appareret, eum multos jam annos pro derelicto fuiſſe habitum, ideoq; ad inſtaurationem ejus, & reſtitutionem in priſtinum ordinem ac ſplendorem haud minori opus fore induſtriâ & ſtrenuitate, quàm *Hercules* olim purgando *Augiæ* ſta-
XXXIV bulo impendiſſet. Atenimverò quo melius, *Chariſſime Sluſi*, præ-

ſentem

ſentem *Bibliothecæ Cæſareæ*, ſtatum cognoſcas, operæ pretium me factur[illegible] ſi originem eius paulo altiùs repetiero. Iam ori-

ctus eſt. Fecit tunc quoq; *Cæſar* inter alia mentionem pervetuſti gentilis *Sarcophagi*, qui cum æneis nonnullis Antiquitatum reli-



ſentem *Bibliothecæ Cæſareæ*, ſtatum cognoſcas, operæ pretium me factum arbitror, ſi originem ejus paulo altiùs repetiero. Jampri-

ctus eſt. Fecit tunc quoq; *Cæſar* inter alia mentionem pervetuſti gentilis *Sarcophagi*; qui cum æneis nonnullis Antiquitatum reli-

ſentem *Bibliothecæ Cæſareæ*, ſtatum cognoſcas, operæ pretium me
facturum arbitror, ſi originem ejus paulo altiùs repetiero. Jampri-
mùm omnium ſatis conſtat, omnes ex Auguſtiſſima Domo Au-
ſtriacâ oriundos Imperatores inde à *Rudolpho I* uſque ad noſtram
ætatem ingeneratâ quadam benignitate ac philomathiâ maximos
fuiſſe eruditionis & eruditorum amatores, eorumq; ex numero *Ma-
ximilianum I* non tantùm geſſiſſe res magnas, verùm etiam ad imi-
tationem primi Romanorum Imperatoris *C. Iulij Cæſaris* rerum à *Se*
geſtarum Commentarios conſcripſiſſe. Sub hujus Patre *Friderico*,
qui A. 1440 cœpit imperare, & revera *Quintus* illius nominis fuit
Romanorum Imperator, vulgò autem *Tertius* appellatur, revixe-
runt bonâ fide humaniores literæ in *Germaniâ*, partim inventione
Typographiæ circa jam memoratum annum 1440, partim verò in-
ſtauratione ſtudij *linguæ Grecæ* per *Rudolphum* præcipuè *Agricolam*,
diſcipulum *Theodori Gazæ*, qui *Conſtantinopoli* à *Muchammedo II* A.
1453 d. 29 Maij expugnatâ, unà cum alijs quibuſdam eruditis
Græciæ exulibus, in Italiam ſe contulit. Cùm igitur Imp. *Maxi-
milianus I* A. 1493 Patri *Friderico* in Imperio ſucceſſiſſet, nec mul-
to pòſt in primis Comitijs, A. 1495 *Auguſtæ Vangionum* ſive *Wormа-
tiæ* celebratis, Tribunal Imperij Romano Germanici, quod *Camera
Imperialis* vulgò dicitur, *Auguſtæ Nemetum* ſive *Spiræ* fundaſſet, atq;
inſuper in iiſdem Comitijs ſapientiſſimè decreviſſet, ut Septem-Viri
Electores in ſuâ quiſq; ditione *publicas Scholas* ſive *Academias* inſti-
tuerent, præcipua deinceps cura Ipſius fuit, ut manuſcriptorum
Codicum libraria ſupellex, inde ab Imp *Rudolpho I* cùm à cæteris
vel Imperatoribus, vel Archiducibus Auſtriacis, tùm inprimis à Pa-
tre *Friderico*, *Æneæ Sylvij* potiſſimùm & *Georgij Purbachij* admini-
culo collecta, & qui poſt inventionem *Typographiæ*, & expugnatio-
nem *Conſtantinopoleos*, vel Græci, vel Latini libri, tàm impreſſi,
quàm manuſcripti, acceſſiſſent, in formam juſtæ *Bibliothecæ* redige-
rentur. Quâ quidem in re operâ præcipuè uſus eſt Viri Clariſſimi
Conradi Celtis, primi inter Germanos ab Imp. *Friderico*, qui *tertius*
vulgò cognominatur, Poëtica laureâ donati, quem Ipſe in Inclyta
Academiâ Vindobonenſi Eloquentiæ & Poëſeos Profeſſorem prima-
rium conſtituit, ut apparet ex conſtitutione Ejus *de bonore & Privi-
legijs Poëtarum* A. 1501 promulgata, quæ extat Tomo III Synta-
gmatis Conſtitutionum Imperialium à *Melchiore Goldaſto* editi. O-
bijt autem *Conradus Celtes* Vindobonæ A. 1508 d. 4 Februarij, re-
lictâ inſigni, ut temporibus illis, *Bibliothecâ privatâ*, quæ poſtmo-
dum magna ex parte in Cæſaream transfuſa eſt. Id quoque obiter XXXV
adden-

addendum cenſeo, errare Henricum Pantaleonem, dum parte ſecundâ Operis de Viris Illuſtribus Germaniæ refert, *Conradum Celtem* ab Imp. *Maximiliano I* Poëtam Laureatum fuiſſe creatum. Audiendus enim hîc potiùs eſt Ipſe Imp. *Maximilianus*, qui in ſuprà citatâ Conſtitutione de Poëtis expreſsè teſtatur, à Patre ſuo *Frederico* id factum fuiſſe. Verba Ipſius hæc ſunt: *Quo pacto autem præfatum Collegium Poëtarum uberiori à Nobis gratiâ & privilegio decoretur, resq; ipſa felici gradu debitum ſumat incrementum, pro honore noſtro & dignitate augendæ Viennenſis Vniverſitatis, Cæſareâ noſtrâ auctoritate ac motu proprio præfatum Collegium hoc præſenti Privilegio ac prærogativâ decoramus, ut quicunq; in præfatâ noſtrâ Vniverſitate Viennenſi in Oratoriâ vel Poëtica ſtuduerit, laureamq; concupiverit, is in prænominato Poetarum Collegio diligenter examinatus, ſi idoneus ad id munus ſuſcipiendum habitus & inventus fuerit, per honorabilem fidelem Nobis dilectum Conradum Celtem, per Genitorem Noſtrum Fridericum Tertium divæ memoriæ, primùm inter Germanos Laureatum Poëtam, & modò in Vniverſitate Noſtrâ Viennenſi Poëtices ac Oratoriæ Lectorem Ordinarium, ac deinde per ſucceſſores ejus, qui pro tempore Collegio præfuerint, laureâ coronari poſſit.* Hucuſq; Imp. Maximilianus I. Confirmat hoc quoq; ipſe Conradus Celtes in præfatione antiquiſſimæ editionis ſuorum Poëmatum, Noribergæ A. 1502 in 4to impreſſorum, ubi Imp. Maximilianum I his verbis alloquitur: *Libros amorum noſtrorum, decennali peregrinatione à me conſcriptos, cui meritò, tanquam primitias agreſtis & rudis mei ingenij, dedicare & offerre debeo, Rex Sereniſſime, quàm Sacratiſſimæ Tuæ Majeſtati, & Illuſtriſſimæ Domui Tuæ Auſtriæ, quæ me ante aliquot annos per Genitorem Tuum Fridericum Tertium divinæ memoriæ ad Poëtices diſciplinæ coronã & Imperialem laurum evexit.* Hæc Con-
XXXVI radus Celtes de ſe ipſo. Cæterùm mortuo Conrado Celti ſucceſſit in adminiſtratione Bibliothecæ Cæſareæ diſcipulus ipſius *Joannes Cuſpinianus* ſive *Spieshamer, Sueinfurtenſis*, relictis ingenij monumentis clariſſimus, cujus conſilio & operâ Imp. *Maximilianus I*, qui eum *Conſiliarij* atq; *Hiſtoriographi Sui* titulo, & inſuper *Præfecturâ Senatus Vindobonenſis* ornavit, in difficillimis negotijs uſus eſt, adeò ut ſæpè in multam noctem de graviſſimis Imperij rebus cum eo collocutus ſit. Tanta enim præter eximiam facundiam in *Cuſpiniano* fuit prudentia, & fides, & tenacitas ſilentij circa res arcanas, ut vigilantiſſimus Imperator fidiſſimo illius pectori reconditiſſima quæq; tutò committere potuerit. Sub hoc itaq; plurimùm crevit *Bibliotheca Cæſarea* acceſſione non exigui numeri inſignium

gnium Codicum manuſcriptorum, partim quidem ex *monaſticis* quibuſdam Auſtriacæ ditionis Bibliothecis, quæ ſpeciali *Cæſaris* juſſu eâ de causâ fuerũt perveſtigatæ, partim verò ex reliquijs *Regiæ Bibliothecæ Budenſis,* à Sereniſſimo Hungariæ Rege *Matthia Corvino,* qui A. 1490 obijt, ingentibus & pluſquã Regijs ſumptibus olim inſtitutæ, quæ A. 1526, cùm *Solimannus* Turcarum Tyrannus poſt *Ludovici* Regis Hungariæ interitum, *Budam* occupaſſet, miſerè direpta varièq; diſtracta eſt. Poſt *Cuſpiniani* porrò obitum, qui in memorabilem illum incidit annum 1529, quo jam memoratus Tyrannus Turcarum Solimannus d. 22 Septembris Vindobonam fruſtrà cœpit obſidere, præcipuam deinceps *Bibliothecæ Cæſareæ* curam geſſit Ampliſſimus doctiſſimusq; Vir Dn.(1)*Gaſpar à Nydpruck,* cujus *Hieronymus Wolfius* in præfatione primæ editionis Annalium *Zonaræ,* A. 1556 ſcriptâ, his verbis meminit: *Deniq; præter omnem ſpem & expectationem meam acceſſit Viennenſis Bibliothecæ Codex integer, benignitate ſingulari Clariſſimi Viri & Senatoris Regij, Domini Gaſparis à Nydpruck, &c. ultrò ſuppeditatus, quem totum contuli, & multas noſtri Codicis lacunas explevi.* Hæc Wolfius. Plura autem de eodem Nydpruckio ipſe referam in recenſione MStorum Codicum Juridicorum Latinorum *Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ;* quippe inter quos varia ab ipſo vel compoſita, vel collecta opuſcula Juridica reperi. Obijt is Bruxellis die 26 Septembris A. 1557. Circa idem quoq; tempus eâdem Auguſtiſſimâ Bibliothecâ plurimùm uſus eſt V. CL. *Wolfgangus Lazius,* Imp. *Ferdinandi I* Conſiliarius & Hiſtoriographus, de cujus vitâ, ſcriptis, obitu & *Bibliothecâ privatâ,* in *Cæſaream* poſtmodum transfusâ, commodiori loco poſthac uberiùs diſſeram. Hoc tantùm nunc addo, illius ætate egregio auctam fuiſſe incremento *Bibliothecam Cæſaream* translatis in eam plerisq; tàm manuſcriptis, quàm impreſſis voluminibus inſignis Bibliothecæ Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Domini *Joannis Fabri* Epiſcopi Vindobonenſis, qui die 21 Maij A. 1541 vitæ, inter acerrimas velitationes pro Catholicâ Eccleſiâ tranſactæ, beatiſſimum finem impoſuit. Candidus profectò ille Vir fuit & religioſus; cujus rei ſi alia non extarent argumenta, ſola ſufficeret Inſcriptio Codicibus Bibliothecæ Cæſareæ paſſim inſerta, quâ ſolenniter teſtatur, *ſe illos emiſſe, non ex eâ pecuniâ, quæ proveniſſet ex reditibus & cenſibus Epiſcopatus, ſed ex eâ, quam honeſtiſſimis laboribus ſuis aliunde accepiſſet.* Non multò poſt acceſſit quoq; numeroſa Bibliotheca *Joannis Dernſchwam de Hradiczin,* cujus antiquo manuſcripto Catalogo extrinſecus inſcriptum legitur, *eum A. 1552 fuiſſe*

XXXVII.

(1) *Hic eſt, cui* Conradus Geſner⁹ *Appendicẽ Bibliothecæ ſuæ Univerſalis dedicavit A. 1555. Extant etiam in Bibliothecâ Cæſareâ complures variorum ſuperioris ſeculi doctorum Virorum epiſtolæ, quæ ad eumdẽ* Nydpruckiũ *ſcriptæ ſunt, & alias à me in lucem proferentur.*

iſſe compoſitum. In fine autem ejuſdem Catalogi ipſe *Dernſchwammius* propriâ manu annotavit, *ſe A. 1494 d. 23 Maij natum fuiſſe.* Mentionem illius honorificentiſſimam facit *Hieronymus Wolſius* in ſuprà citatâ præfatione primæ editionis Annalium *Zonaræ*, ad Magnificum & Generoſum Virum Dn. *Antonium Fuggerum* A. 1556 ſcriptâ, ubi de quinque antiquis Codicibus manuſcriptis, quorum collatione in adornandâ illâ editione uſus eſt, diſſerens, *Ioannē* illum *Dernſchwammiū* refert liberalitate jam memorati Dn. *Antonij Fuggeri* tres *Zonaræ* Codices manuſcriptos magnis ſumptibus *Conſtantinopoli* comparaſſe, eorumque communicationem plurimùm ſibi profuiſſe. Ipſa *Wolſij* verba hæc ſunt: *Neq; tamen hâc ſolertiâ me expedire ubiq; potuiſſem, niſi plures mihi Codices ſuppeditati fuiſſent; quorum tres è tuâ Bibliothecâ accepi, magnis ſumptibus Conſtantinopoli comparatos, operâ atq; induſtria egregij Viri, & prudentiâ longinquis peregrinationibus, Ulyſſis exemplo, ac multo rerum uſu partâ clari Joannis Dernſchwam, qui in fronte vetuſtiſſimi illius Codicis hæc verba ſcripſit: Chronicon Joannis Zonaræ duobus Tomis diſtinctum, quorum prior Hiſtoriam Iudaicam potiſſimùm ab exordio Mundi uſq; ad Hieroſolymorum excidium, alter Imperatorum tàm Græcorum, quàm Romanorum res geſtas, uſq; ad Alexij Comnenij obitum complectitur, anno Domini 1554 Conſtantinopoli in Pera ſive Galata, quam olim* Κέρας *ſive Cornu appellatam putant, centum quinquaginta ducatis Hungaricis emi à Magnifico Domino Antonio Cantacuzeno, cujus familia, dum res Byzantina ſtetit, Imperatoria fuit; nunc ſub Turcico dominatu ad privatam conditionem redacta eſt: ab eoq; rogatus ſum, ut hoc opus aliquando excuderetur, & impreſſi Codicis ſibi copia fieret ob Zonaram conſervatum. Prætereà ſecundùm Zonaræ Tomum de Imperatoribus conferendi gratiâ ab Alexandro Chartophylace triginta ducatis Hungaricis comparavi. Alium item libellum Zonaræ de rebus Imperij & Eccleſiæ à Conſtantino uſq; ad Juſtinianum Imperatorem ex vetuſto Codice tranſcribendum curavi.* Hucuſque verba *Joannis Dernſchwammij* quæ *Hieronymus Wolſius* præfationi ſuæ inſeruit. Hujus igitur *Dernſchwammij* Bibliotheca, quam in varijs regionibus ſummo ſtudio collegerat, poſt obitum ejus acceſſit *Cæſareæ*, librique eò pertinentes præfixis ipſius inſignibus ac nomine etiam nunc ſunt conſpicui.

XXXVIII. Alia porrò longè major *Bibliothecæ Cæſareæ* obtigit felicitas, poſtea quam Generoſiſſimus pariter ac Doctiſſimus Vir, Dn. *Augerius Busbeckius*, natione Belga, patriâ *Cominæus*, accerſitu Romanorum Regis *Ferdinandi I Vindobonam* commigravit. Is enim in duabus ſuis præcipuis Legationibus, *Conſtantinopolitanâ* & *Amaſianâ*, quæ elegan-

elegantiſſimo ſtylo literis ab ipſo conſignatæ ſunt, incredibili diligentiâ & impensâ magnum comparavit numerum variorum Codicum manuſcriptorum, quos ex Aſiâ & Græciâ Europæa in Auſtriam reverſus, *Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſi* conſecravit. Superſunt illi etiamnunc ſalvi & incolumes, nec admirandâ tantùm vetuſtate ſuâ & argumenti dignitate nos delectant, verùm etiam *manu Busbeckianâ*, quâ tanquam peculiari ſuo charactere in fronte & calce ad hunc modum notati ſunt: *Augerius de Busbecke comparavit Conſtantinopoli.* Meminit hujus rei *Aubertus Miræus*, Canonicus Antverpienſis, in Elogijs illuſtrium Belgij Scriptorum his verbis: *Augerius Gislenus Busbequius cùm in omni adminiſtrationis genere excelleret, tùm verò in legationibus enituit, quibus compluribus magnâ cum gloriâ ad ſummos Principes aſſiduè functus eſt; quarum illæ inprimis inſignes fuere Conſtantinopolitana & Amaſiana, quas etiam literarum monumentis eleganti ſtylo mandavit, & Nicolao Micaultio V. CL., amico veteri & ſtudiorum multos annos in Italiâ ſocio inſcribendas curavit. Nec otioſa illa profectio. Nam & animantium Orientis naturas, vetereſq; Inſcriptiones, ut Ancyranam, quam cum Andrea Schotto, & herbarum naturas, quas cum Petro Andreâ Matthiolo communicavit, inveſtigando cognovit. Quin & centum ampliùs cùm Græca, tùm Latina, in membranis calamo exarata volumina, mediâ in Græciâ ſtudioſè collecta in Cæſaream Viennæ Auſtriæ Bibliothecam intulit.* Idem etiam aliquanto generaliùs confirmat *Franciſcus Sweertius* in *Athenis* ſuis *Belgicis* ſive Nomenclatore Inferioris Germaniæ Scriptorum hoc modo: *In Legationibus enituit, quarum inprimis inſignes fuere Conſtantinopolitana & Amaſiana. Plurima cùm Græca, tùm Latina manuſcripta volumina, media in Græciâ collectâ, in Cæſaream Viennæ Auſtriæ Bibliothecam intulit.* Hæc de *Busbeckio Miræus* & *Sweertius*. Notandum autem hîc obiter eſt, *Miræum* jam citato loco expreſsè teſtari, illa *centum ampliùs volumina*, quæ Busbeckius in Bibliothecam Cæſaream intulit, fuiſſe *membranacea*. Haud abs re enim ſpeciatim id additum eſt reſpectu reliquorum veterum manuſcriptorum Codicum *chartaceorum*, qui ejuſdem *Busbeckij* manu notati, in *Bibliothecâ Cæſareâ* extant, & *membranaceis* non cedunt numero. Habuit certè hujus rei rationem *Franciſcus Sweertius*, ideoq; nullam *membranaceorum* Codicum ſpecialem facit mentionem, ſed ſine adjectione numeri generatim ait, *plurima* fuiſſe volumina. Quot autem reverâ fuerint, ipſe nos docet *Busbe- XXXIX*
ckius quartâ de Legationibus ſuis Turcicis epiſtolâ, quam poſt reditum ſcripſit Francofurti ad Mœnum d. 16 Decemb. A. 1562. Ver-

ba ejus hæc ſunt: *Reporto item magnam farraginem veterum numiſmatum, quorum præcipuis donabo Dominum meum (Imp. Ferdinandum I). Adhæc librorum Græcorum manuſcriptorum tota plauſtra, totas naves. Sunt credo libri haud multò infra 240, quos mari tranſmiſi Venetias, ut inde Viennam deportentur. Nam Cæſareæ Bibliothecæ eos deſtinavi. Sunt aliquot non contemnendi; communes multi. Converri omnes angulos, ut, quicquid reſtabat hujuſmodi mercis, tanquam noviſſimo ſpicilegio cogerem. Unum reliqui Conſtantinopoli decrepitæ vetuſtatis, totum deſcriptum literâ majuſculâ, Dioſcoridem cum depictis plantarum figuris, in quo ſunt pauca quædam, ni fallor, Crateva, & libellus de avibus. Is eſt penes Judæum, Hamonis, dum viveret, Suleimanni Medici filium, quem ego emptum cupiviſſem, ſed me deterruit pretium. Nam centum ducatis indicabatur; ſummâ Cæſarei, non mei marſupij. Ego inſtare non deſinam, donec Cæſarem impulero, ut tàm præclarum autorem ex illâ ſervitute redimat. Eſt vetuſtatis injuriâ peſſimè habitus, ita extrinſecus à vermibus corroſus, ut in viâ repertum vix aliquis curet tollere.* Hæc jam citato loco *Busbeckius.* Et quod primùm quidem ad *numiſmata*, quorum mentionem facit, attinet, ea in *Cimeliarchio* ſuperſunt *Cæſareo:* Codices autem illi *ducenti circiter & quadraginta*, quorum causâ eum locum præcipuè citavi, in *Cæſareâ* extant *Bibliothecâ*, & peculiari ſuo *Busbeckianæ manus* inſigni facilè à cæteris dignoſcuntur. Etſi verò ſuperſtite adhuc Imp. *Ferdinando I Busbeckius* eos comparaverit & Bibliothecæ deſtinaverit Cæſareæ, attamen ipſi *Ferdinando I* non fuerunt oblati, ſed filio ejus Imp. *Maximiliano II*; ut ipſe teſtatur *Busbeckius* epiſtolâ quâdam ad Imp. *Rudolphum II.* A. 1583. datâ, quam paulo inferiùs, cùm ad ea tempora pervenero, integrè inſeram. Quod porrò de Codicibus à ſe comparatis ait, *eſſe inter eos aliquot non contemnendos, at communes multos*, tàm manifeſta eſt extenuatio, quàm manifeſta eſt hyperbole, dum paulo antè ſcribit, librorum manuſcriptorum *tota plauſtra, totas naves ſe afferre.* Ut enim hyperbole ex joco, ita extenuatione ex neceſſitate utitur. Attulerat quippe res multas rariores ex oriente, ſed, dum magnam earum partem quibuſdam ultrò donat, alijs verò petentibus denegare verecundatur, vix ægrè exiguas ipſe ſibi retinuerat reliquias. Ne itaq; amici petendis libris æquè moleſti eſſent, diſſimulare maluit homo πολιτικώτατος præſtantiam eorum, quàm deprædicare. Nam quanti revera illos Codices fecerit, & quàm vehementer eos amaverit, luculenter apparet partim ex ſuprà citatâ, & poſthac integrè inſerendâ epiſtola ad Imp. *Rudolphum II*, partim verò ex aliâ

quâ-

quâdam non editâ, quæ A. 1579 ad *Hugonem Blotium* ſcripta eſt, & itidem à me infrà inſeretur. Quod deniq; ad antiquiſſimum illum *Dioſcoridis* Codicem manuſcriptum attinet, quem ſuprà citato loco *Busbeckius* refert *Conſtantinopoli* à ſe relictum, & à poſſeſſore ejus Judæo centum ducatis indicatum fuiſſe, is impulſu ejuſdem *Busbekij* vel ab Imp. *Ferdinando I*, vel, quod veriſimilius mihi videtur, à filio ejus & ſucceſſore Imp. *Maximiliano II* redemptus, ex aulâ Turcica in *Bibliothecam Cæſaream* transmigravit. Meminit illius Codicis ſed tanquam amiſſi *Hugo Blotius* in *Oratione* illa, ſeu potiùs *libello ſupplici*, qui Inventario Bibliothecæ Cæſareæ, A. 1576 ab ipſo confecto, præfixus eſt. *Hoc tamen*, inquit, *me adhuc plus æquo ſolicitum habet, Dioſcoridem quendam vetuſtiſſimum, Conſtantinopoli, nî fallor, ab Augerio à Busbecke centum aureis emptum, in Bibliothecâ hoc anno non fuiſſe inventum. Nam Joannes Sambucus illo ſe uſum quidem eſſe, ſed reſtituiſſe affirmat. Ego, me illum nunquam oculis aſpexiſſe meis, ſanctè jurare poſſum. Itidem Helfricus Guttius, Wolfgangus Pudlerus & Doctor Tannerus, qui mecum in Bibliotheca verſati ſunt, ſibi illic eum librum viſum eſſe negant. Si itaque neque in Bibliothecâ, neque in aulâ eſt, furto ſublatus ſit neceſſe eſt.* Hæc Blotius. Sed vanam fuiſſe hanc illius ſolicitudinem ac ſuſpicionem, res ipſa indicat. Supereſt enim *Dioſcoridis* ille Codex etiam nunc in Auguſtiſſimâ Bibliothecâ Cæſareâ inter MStos Codices Medicos Græcos N. 3, & aliàs accuratè à me deſcribetur. Cæterùm minimè dubium eſt, quin ex Codicibus illis, quos *Busbeckius* Bibliothecæ Cæſareæ inſeruit, conſtanti propriæ manus teſtimonio evidentiſſimè eluceat, quòd verum illi nomen fuerit *Augerius de Busbecke*, uti etiam à *Ioanne Iacobo Friſio* in Auctario Bibliothecæ Geſnerianæ rectè obſervatum eſt. Perperàm igitur à *Miræo, Sweertio*, & editoribus Epiſtolarum ipſius de Legationibus Turcicis *Busbequius* vocatur, qui reverà *Busbeckius* vel *Busbecius* appellandus eſt. Notiùs enim eſt, quàm ut probatione indigeat, terminationem locorum in *Beck* apud Germanos inferiores, terminationem verò in *Bach* apud Germanos ſuperiores valdè uſitatatam eſſe, & utroq; monoſyllabo *rivum* ſignificari. Sed, his miſ- XL.
ſis, redeo ad *Lazium*; quippe de quo *Henricus Pantaleon* parte tertiâ Operis de Illuſtribus Viris Germaniæ, & *Abrahamus Bucholcerus* in Indice Chronologico perperam memoriæ tradiderunt, eum deceſiſſe *anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto.* Reverà enim is mortuus eſt A. 1565 d. 19 vel 20 Junij; ut certò conſtat ex Oratione funebri in honorem ipſius à *Diomede Cornario* Zuicca-

 vienſi

vienſi Vindobonæ in templo *S. Petri* d. 22 Junij jam dicto anno 1565 habitâ,& ibidem eodem anno typis Michaëlis Zimmermanni in 4to excusâ, cujus exemplar, V. CL. *Ioanni Sambuco* ab auctore donatum, in Bibliothecâ Cæſareâ etiam nunc adſervatur. Extat præterea in eâdem Bibliothecâ inter recentiores manuſcriptos libros Hiſtoricos Latinos Codice 213 ejuſdem *Lazij* Oratio, in exequijs Imp. *Ferdinandi I,* A. 1564 habita, quam profectò habere non potuiſſet, ſi A. 1555 fato jam conceſſiſſet. Huc deniq; accedit ipſum *Lazij Epitaphium*, quod Vindobonæ in vetuſtiſſimâ *S. Petri* Eccleſiâ extat, & hanc Inſcriptionem continet:

MAGNIFICO, NOBILI, CLARISSIMO ATQUE SVMMA ERVDITIONE ORNATISSIMO VIRO, DOMINO WOLFGANGO LATZIO VIEN., PHILOSOPHIÆ ATQUE MEDICINÆ DOCTORI ET PROFESSORI PRIMARIO, CELEBERRIMI ARCHIGYMNASII VIENNENSIS RECTORI ET SVPERINTENDENTI CÆSAREO, ET EIVSDEM SACRÆ CÆSAREÆ MAIEST. FERDINANDI SANCTISSIMÆ MEMORIÆ CONSILIARIO ET HISTORICO PERITISSIMO, DEFVNCTO ANNO DOMINI MDLXV DIE XIX JVNII, POSITVM MDLXXXVI.

Cæterùm quàm præclaram is reliquerit *Bibliothecam*, teſtatur præter jam memoratum Orationis funebris Auctorem *Conradus Lycoſthenes* in Additamento Bibliothecæ Geſnerianæ his verbis: *Habet Wolfgangus Lazius adhuc autores vetuſtiſſimos, quos ex vetuſtioribus Cœnobijs Auſtriæ utriusq;, Carinthiæ, Stiriæ, Cilij, Sueviæ, Helvetiæ, Briſgaviæ, Alſatiæ, Suntgaviæ & Nigræ Silvæ inter tineas non ſine ſitu & literarum jacturâ hactenus deliteſcentes, collegit manuſcriptos, eosq; in uſum Reipublicæ literariæ typis excudendos, amicis (cùm ad propaganda ſtudia literarum natus ſit) lubenter communicabit.* Hucuſq; Lycoſthenes. Quicquid igitur in *Lazianâ* illâ *Bibliothecâ* eximium & rarum fuit, id omne poſt ipſius mortem in Bibliothecam Cæſaream fuit translatum, ut etiam nunc videre eſt,
XLI. & ſuo loco prolixiùs à me commemorabitur. Verumenimverò, ut humana omnia viciſſitudini obnoxia ſunt, ſic Bibliothecæ etiam Cæſareæ non idem ſine nube fluxit tenor. Quamvis enim Imp. *Maximilianus II,* qui Patri *Ferdinando I* A. 1564 in Imperio ſucceſſit,

ceſſit, amore erga eruditionem & eruditos nulli Majorum ſuorum ceſſerit, accidit tamen, partim abſentiâ Busbeckij, varijs legationibus alijsq; negotijs publicis impliciti, partim verò alijs cauſis, quæ longinquitate temporis nobis nunc ſunt incognitæ, ut Bibliotheca Cæſarea per integrum circiter *decennium* minori curâ, quàm olim, fuerit tractata, donec tandem A. 1575 ſpeciali Imperatoris Decreto, Pragæ d. 15 Junij promulgato, V. CL. *Hugoni Blotio*, J. V. D., *Delphis Batavis* oriundo, Præfectura illius conceſſa eſt. Tùm demùm velut à ſtirpibus lætiùs feraciùsq; renata Bibliotheca, intra biennij ſpatium tantam acquiſivit dignitatem, ac gloriam, ut ingenioſiſſimus ille Criticorum ſui ævi Princeps *Iuſtus Lipſius* eâ de causâ Imp. *Maximiliano II* in præfatione editionis C. Cornelij Taciti gratuletur inſigni hoc & perennaturo encomio: *Atq; hæ quidem,* inquit, *virtutes, quanquam à cœleſti Naturâ Tuâ ſunt, tamen vel augeri vel ornari aliquam partem videntur à ſtudijs doctrinæ; quæ quanti æſtimes, hinc diſcimus, quòd una Viennenſis Aula Tua plures eruditos habeat; quàm aliorum tota regna. Quibus & Bibliothecam jam inſtruxiſti ſic adfluentem omni genere monumentorum, ut certamine cum Philadelpho & Pergamenis Regibus inſtituto, vel ſuperare eos poſſe videaris, vel certè æquare. In quâ tantâ magnificentiâ neſcio magis mirari animum Majeſtatis Tuæ, an Fortunam debeam; animum excelſum, quòd colligere tàm multa voluerit, Fortunam quòd potuerit.* Hæc de Bibliothecâ Cæſareâ *Lipſius*, & quidem illo tempore, priuſquam *Sambuci, Streinij, Blotij, Coraducij, Tengnagelij, Tychonis Brahe* & *Philippi Eduardi Fuggeri* numeroſiſſimæ Bibliothecæ, aliaq; multa voluminum millia, cùm ex annuis nundinis *Francofurtenſibus*, tùm alijs quoq; varijs modis acceſſiſſent. Sub *Blotio* igitur Bibliotheca Cæſarea, quæ aliquamdiu quaſi ſepulta fuerat, bonâ fide revixit, nec numero tantùm librorum plurimùm aucta fuit, ſed meliori etiam ordine in novos redacta Catalogos, & ſecundùm certam numerorum ſeriem ita diſpoſita, ut quodcunq; volumen ſine ullâ difficultate poſſet inveniri. Quare non injuriâ is primus omnium *Bibliothecarij Cæſarei* uſus eſt titulo, quem ante illum nec *Celtes*, nec *Cuſpinianus*, nec *Nydpruckius*, nec *Lazius*, nec *Busbeckius* uſurpaverant. Sed operæ pretium eſt, ut ex ipſo audia- XLII.
mus Blotio, quo in ſtatu *Bibliothecam* invenerit *Cæſaream* A. 1575, menſe Julio, cùm primùm ei inſtaurandæ manum cœpit admovere. Extat enim eâ de re notabilis locus in manuſcriptâ ejus Oratione, quam A. 1576 menſe *Aprili* novo Bibliothecæ *Inventario* præfixit inſtar libelli ſupplicis, quo omnia ad Bibliothecam neceſ-

ſaria

ſaria exponuntur. *Vtinam,* inquit, *Sacratiſſime Imperator, fortuna reſpondeat labori, quem in S. Caſ. Majeſtatis Tua Bibliothecâ hoc triennio proximo ponere cupio & ardeo. Alia profectò cernetur Bibliotheca facies, alius ſplendor, alia elegantia, & alius etiam uſus, qui nunc penè nullus eſt. Sed qualem, Deus bone, ſuperiori anno, menſe Iulio eam invenimus! quàm inculta & horrida apparebant omnia! quantus ubiq; ſitus & caries! quanta tinearum blattarumq; damna! quàm omnia aranearum tela obtegebant! Nam quanquam Augerius à Busbeck, Eques clariſſimus, & Vir in omnibus penè rebus accuratiſſimus, optimeq; de hac Bibliotheca meritus, libros compingi plurimos, & in aliquem ordinem redigi curaverat: ita tamen erant veteres Catalogi (qui duo magni & ingentes ſunt) conſcripti, ut neq; Indicis, neq; Inventarij uſum ullum praberent, neq; librum ullum, quo in loco poſitus, aut quo numero notatus eſſet, indicarent. Cùmq; jam feneſtra, qua plurimos menſes clauſa, Solem nunquam ad illuſtrandos infelices & certatim pereuntes libros admiſerant, aperirentur, vah quàm peſtilens, aëre intùs corrupto, exhalavit fœtor. Nihil mentior, Sacratiſſime Caſar. Inprimis Deum teſtem, deinde Clariſſimum Virum Helfricum Guttium habeo, cujus auctoritate ex Mandato Majeſtatis Tua mihi primùm Bibliotheca aperta, cujusq; arbitrio hac ipſa, qua nunc offero, Inventarij volumina deſcribi cœpta ſunt.* Hucuſq; Hugo Blotius. Ex quo loco etſi præter alia non obſcurè appareat, eum *A. 1575* Bibliothecæ Cæſareæ Præfecturam ſuſcepiſſe, aliud tamen ejus rei aliquanto etiam clarius teſtimonium inveni in antiquo Catalogo MSto *Bibliotheca Dernſchwammiana*, in cujus principio hæc manu ipſius Blotij ſcripta leguntur: *Catalogus librorum Ioannis Dernſchwammij, ita ut menſe Iulio, 1575, à Magnifico D. Helfrico Gutt & Hugone Blotio, recenſione Bibliotheca Caſarea factâ, fuit inventus.*

XLIII. Ex hoc ergò tempore Bibliotheca Cæſarea longè lateq; inclaruit, & præcipuè quidem ſub Imp. *Rudolpho II,* qui Patri *Maximiliano II,* A. 1576 d. 12 Octobris defuncto, in Imperio ſucceſſit, &, ut vulgò notiſſimum eſt, omnes Majores ſuos *eruditâ curioſitate* ſuperavit, adeò multis maximi pretij incrementis in dies magis ac magis locupletata eſt, ut, ſi quis de veritate jam citati *Lipſiani* teſtimonij dubitet, ſolo temporum Imp. *Rudolphi* ſupplemento poſſit redargui. Præter plurimos enim rariſſimos tàm manuſcriptos, quàm impreſſos libros, qui ſparſim & disjunctè, vel à Viris doctis Cæſari donati, vel magno pretio coëmpti fuerunt, acceſſit tunc illi integra, nec minùs exquiſita, quàm numeroſa Bibliotheca V. CL. *Ioannis Sambuci Pannonij Tyrnavienſis*, qui Impp. Maximiliani II & Rudol-

Rudolphi II *Conſiliarius* fuit & *Hiſtoriographus*, & A. 1584, Idibus Junij, apoplexiâ Vindobonæ obijt. Hujus Catalogo manu Hugonis Blotij ad perpetuam poſteritatis memoriam hæc ſubſcripta ſunt: *Hic bis mille ſexcentorum octodecim librorum Sambucianorum Catalogus ab Hugone Blotio, I. V. Doctore, & S. Cæſ. Majeſtatis Bibliothecario conſcriptus, præſentibus D. Sambuci olim viduâ, & Wolfgango Sinnichio, qui nunc eandē uxorem duxit; item ſeniore Sambuci filia, traditus & cōſignatus fuit Excellentibus Viris DD. Leonhardo Hoyo J.V.D. & Thomæ Haunſtein Doctori Medico, ipſius Sambuci liberorum tutoribus. Fidei causâ hæc ornatiſſimi Viri Joannes Pibler & Ludovicus Eltenhover publicis teſtimonijs audiendis Commiſſarij, & in hoc negotio Sambuciano legitime à Summo Excelſi Regiminis Magiſtratu conſtituti, ſigillis & chirographis ſuis conſuetis una cum Hugone Blotio confirmarunt. Actum Viennæ XIII April. A.* CIƆ IƆ XXCVII. Fuiſſe autem Sambucianæ huic Bibliothecæ adjunctum magnum numerum *numiſmatum, ſtatuarum* aliorumque ejus generis monumentorum veterum abundè patet ex epiſtolâ quâdam ejuſdem Blotij ad Illuſtriſſimum Virum *Paulum Sixtum Trautſonium*, qui eâ tempeſtate fuit *Magiſter Officiorum Sacri Palatij*, ſive, ut vulgò nunc loquimur, *Supremus Marſchalcus Aulæ Cæſareæ*. Idem quoque Blotius in fine ultimi Voluminis antiqui Inventarij Bibliothecæ Cæſareæ teſtatur, non tantùm jam memoratos 2618 libros poſt Sambuci mortem in Bibliothecam Cæſaream tranſlatos fuiſſe, verùm etiam ipſum Sambucum adhuc ſuperſtitem augendæ ejus gratiâ juſſu Imp. *Rudolphi II* unâ vice *quingentos triginta* libros cum vetuſtate quâdam ſtatuâ *quater mille & quingentis florenis*, ſive *ter mille Imperialibus* emiſſe. Quod quidem propterea hîc commemoro, ut appareat, quàm liberalis Imp. *Rudolphus* fuerit in perſolvendo pretio earum rerum, quæ neceſſitatis vel ornatus causâ ad Bibliothecæ perfectionem requirerentur. Cæterùm quanta pretioſiſſimorum Codicum manuſcriptorum multitudo beneficio *Joannis Sambuci* in Bibliothecam Cæſaream devenerit, alio commodiori loco ſpeciatim indicabo, ſi priùs accuratè perluſtravero cùm cæteros ſchedarū ejus faſciulos, tùm præcipuè egregium illud Volumen, quo ipſius & aliorum complurium doctorum Virorum, qui eâdem ætate claruerunt, authographæ *epiſtolæ* mutuæ continentur. Interim ecce de magnanimitate ejuſdem *Sambuci* in comparandis antiquis Codicibus manuſcriptis præclarum teſtimonium, quod *Joannes Jacobus Friſius* Bibliothecæ Conradi Geſneri, A. 1583 à ſe editæ, inſeruit his verbis: *Ea eſt CL. V. Ioannis Sambuci Tirnavienſis diligentia &*

ſtudium in colligendis veteribus libris, liberalitas in edendis, ut maximis Principibus, qui hâc re laudem conſecuti ſunt, meritò queat conferri. Majorem autem laudem cùm proprijs ſcriptis, tùm emendatione veterum adeptus eſt, quàm ut hoc elencho pro merito prædicari poſſit. Hæc Friſius. Quæ verba *Joannes Jacobus Boiſſardus*, ſuppreſſo *Friſij* nomine, parti tertiæ Iconum Illuſtrium Virorum non niſi duabus vocibus, quæ neceſſariò mutandæ erant, exceptis ἀπαῤῥαλλάκ-
XLIV. τως intexuit. Verùm de *Sambuco* in præſens ſatis. Revertor itaq; ad Bibliothecam Cæſaream; quæ quantum ſub *Hugonis Blotij* Præfecturâ numero & excellentiâ librorum crevit, tantùm etiam fulgere cœpit gloriâ utilitatis, quam inde percepit res literaria. Teſtatur hoc præ cæteris ingenuè jam memoratus *Joannes Jacobus Friſius* in ipſo titulo Bibliothecæ Geſnerianæ à ſe editæ, ubi publicè fatetur, *ſe Bibliothecam illam poſt Conradum Lycoſthenem & Joſiam Simlerum poſtremò aliquot mille cùm priorum, tùm novorum auctorum opuſculis ex inſtructiſſimâ Viennenſi Auſtriæ Imperatoriâ Bibliothecâ amplificaſſe.* Idem etiam aliquanto prolixius repetit in Epiſtolâ dedicatoriâ ad Illuſtriſſimum Electorem Ludovicum Comitem Palatinum Rheni, ubi cauſas Bibliothecæ Geſnerianæ recenſens, ſic ſcribit: *Tertia & potiſſima cauſa fuit, quod utriuſq; operis amplificandi exornandiq; commoditatem idoneam ſum adeptus ex humanitate ſingulari, benevolentiâ, favore & liberalitate Clariſſimi Viri, Hugonis Blotij, S. Cæſareæ Majeſtatis Bibliothecæ Præfecti, qui mihi maximam partem Indicis inſtructiſſimæ omnium Bibliothecæ Imperatoriæ ſuppeditavit. Ex quâ non tantùm novorum, ſed complurium veterum opuſcula præclara, & manuſcripta, & olim typis excuſa, hodiè tamen incognita & oblivione ſepulta, quaſi è latebris, hâc editione in lucem & theatrum producuntur. Blotio igitur, ſi quod huic operi decus & ornamentum acceſſit, referatur acceptum: quod verò in eo mendoſum, deforme pravumq; fuerit inventum, amanuenſium quorundam imperitiæ & oſcitantiæ tribuatur; mihi labor, moleſtia, ſumptus, ira & indignatio eorum, quibus non fuerit ſatis factum, relinquatur.* Hæc Friſius in principio epiſtolæ dedicatoriæ; ſub finem verò iſta: *Magnâ cum ſuâ laude & expectato cum Eccleſiæ fructu Imperator Rudolphus II omnium locupletiſſimam virtute & auſpicijs Hugonis Blotij, Viri diſertiſſimi, inſtruit & quotidiè auget Bibliothecam.* Item in Præfatione ad Lectorem: *Hugo Blotius, S.Cæſ. Majeſtatis duorum Impp. Maximilani II* & *Rudolphi II Bibliothecæ omnium locupletiſſimæ Præfectus digniſsimus, maximam partem Catalogi tam manuſcriptorum, quàm complurium veterum Auctorum typis excuſorum, in Imperato-*

riâ

riâ Bibliothecâ extantium, amanter & liberaliter ad nos miſit; totum miſſurus, niſi fidiſſimi ejus amanuenſis mors indigna interveniſſet: quæ tamen deſiderantur, deinceps ab ejuſdem humanitate expectamus. Eòdem quoque pertinent, quæ in ipsâ Bibliothecâ literâ H. his verbis memorantur: *Hugo Blotius, Vir doctiſſimus, Bibliothecæ Imperatoriæ duorum Impp. Maximiliani II & Rudolphi II Præfectus digniſſimus, habuit & ſcripſit orationem diſertam, & oratoriam in duorum Iuvenū Adriani Friſij Tigurini, & Laurentij Eisleri, Patricij Viennenſis, virtute & doctrinâ præſtantium homicidas. Imperatoriæ Bibliothecæ inſtructiſſimæ majorem partem Indicis operâ ſui Amanuenſis Adriani Friſij ad nos miſit, unde hanc Epitomem locupletavimus. Ab ejuſdem humanitate reliqua, quæ deſiderantur, expectamus. Præterea opus præclarum de commodiſſimo Bibliothecæ Imperatoriæ uſu, ab eodem Adriano Friſio inchoatum, adornat. Præſtitit item alia in re literariâ mihi ignota. Floret Viennæ Auſtriæ.* Hucuſq; Friſius. Verùmenimverò priuſquam ulteriùs progrediar, non poſſum, quin lepido aliquo exemplo oſtendam, Joannem Jacobum Friſium ſuprà citato epiſtolæ dedicatoriæ loco non injuriâ de amanuenſium ſuorum imperitiâ & oſcitantiâ conqueri. In editione enim Bibliothecæ Geſnerianæ ab ipſo auctæ, ubi diverſorum *Georgiorum* ſcripta recenſentur, hæc quoque inter alia leguntur: *Georgij Nicetæ Epiſtolæ de creatione hominis; 4to MS. in Bibl. Imp. Viennæ.* Quæ verba V. CL. *Leo Allatius*, primarius Bibliothecæ Vaticanæ Cuſtos, quem ut veterem amicum honoris causâ nomino, Diatribæ ſuæ de Georgijs & eorum ſcriptis inſeruit hoc modo: *Georgij Nicetæ Epiſtolæ de creatione hominis: 4to MS. in Bibl. Imp. Viennæ. Epitome Geſneriana.* Rectiſſimè profectò fecit Vir doctiſſimus, quòd nihil prætereà addiderit, ſed incognito illo *Georgio Niceta* in medium relicto, onus probandi reliquerit Friſio. Quippe reverà *Georgius* ille *Nicetas* nunquam fuit in rerum natura, ſed ex oſcitantis amanuenſis calamo natus eſt. Nam, cùm in communicato Bibliothecæ Cæſareæ Indice abbreviatè ſcriptum eſſet: *Greg: Nyſſ: Ep. de creatione hominis*, hoc eſt, *Gregorius Nyſſenus Epiſcopus de creatione hominis*; ridiculâ prorſus metamorphoſi ex *Gregorio* ille nobis fecit *Georgium*, ex *Nyſſeno Nicetam*, & ex *Epiſcopo epiſtolas*. Quàm facilè autem & frequenter prænomina *Georgius* & *Gregorius* ab antiquis & novis auctoribus confundantur, pereruditè obſervat jam memoratus Leo Allatius in jam citatâ Diatribâ de Georgijs, & quidem præcipuè, ubi agit de *Georgio Alexandrino*, cujus epiſtolæ græcæ dicuntur extare Venetijs. Quin etiam expreſsè ibi monet, Fri-

XLV.

 ſianum

ſianum illum *Georgium Nicetam* à R. P. *Antonio Poſſevino* in Apparatu Sacro appellari *Gregorium.* Corrigendus igitur & Apparatus ille ibi eſt, utpote cùm Opus de Creatione hominis, quod fictitio *Gregorio Nicetæ* iſtic attribuitur, revera ſit *Gregorij Nyſſeni* Epiſcopi. Et certè, quamvis ne dimidiam quidem partem manuſcriptorum Codicum Bibliothecæ Cæſareæ adhuc perluſtraverim, attamen inter eos tantùm, quos hactenùs ſecundùm ſeriem veterum numerorum in priſtinum redegi ordinem, viginti jam inveni, quibus S. Gregorij Nyſſeni opera continentur: nempe inter *Theologicos Græcos* ſedecim, N. 41. 52. 77. 91. 95. 120. 130. 132. 133. 164. 217. 247. 301. 313. 322 & 335; Inter *Philoſophicos* & *Philologicos Græcos* duos N. 63 & 65; inter *Theologicos Latinos* unum N. 498; & deniq́ue inter *Hiſtoricos Latinos* unum N. 299. Inter hos itaq; viginti Codices MStos ſunt *ſex Græci* & *unus Latinus*, quibus præter alia varia ſcripta continetur quoque *S. Gregorij Nyſſeni* opus περὶ κατασκευῆς ἀνθρώπου, hoc eſt, ſecundùm verſionem antiqui Interpretis Dionyſij Exigui, *de creatione hominis*, vel, ut Joannes Leunclavius tranſtulit, *de hominis opificio*: quâ quidem de re prolixius agam commodiori tempore.

XLVI. Recenſebo tunc ſimul etiam, quantum præter Joannem Jacobum Friſium *Joannes Leunclavius* & complures alij Viri docti Bibliothecâ Cæſareâ ſub Præfectura *Hugonis Blotij* uſi ſint, & quàm ingratos nonnulli ſe præbuerint, qui benignam præſtantiſſimorum manuſcriptorum Codicum commodationem, vel maligno ſilentio, vel malitioſâ retentione compenſarunt. Graviter profectò de damnoſâ hâc librorũ *extra Bibliothecam* commodatione conqueritur ipſe *Hugo Blotius* in Conſilio de Bibliothecâ Cæſareâ augenda & ornandâ, quod Imp. *Rudolpho II* A. 1579 obtulit: *Adhæc*, inquit, *non leve illud incommodum ſenſit Bibliotheca Imperatoria, quòd quidam pro ſuo cujuſq; ſtudio libros ex ea utendos ſibi petere ſoleant, quibus cùm longo tempore uſi ſint, vel ipſi, vel poſt eorum mortem ipſorum liberi reſtituere negligant. Sic intelligo, non paucos artis auriferæ libros, quos Chymicos vocant, à - - - - - eſſe ablatos, & adhuc ab ejus filio in arce - - - - detineri. In Nova etiam Civitate detineri quoſdam accepi. Et Flaccius ille Illyricus olim non paucos libros, ex Regno Bohemiæ collectos, & Bibliothecæ Imperatoriæ deſtinatos, ſibi precibus impetraſſe dicitur. Quo jam mortuo, quemadmodum libri illi fugitivi retrahi ex privatâ ipſius hæredum Bibliothecâ ad Bibliothecam Cæſaream poſsint, non video. Plurima hujuſmodi alia recenſere poſſem, ſed brevitatis ſtudio ea prudens prætereo.* Hæc ibi Blotius partim generatim, partim de nonnullis ſpecialiter. At

enim

enimverò multò etiam graviùs de *Ioannis Leunclavij* ingrato erga ſe & Bibliothecam Cæſaream animo conqueritur integrâ Epiſtolâ, ad V. CL. *Reinerum Reineccium* A. 1593 d. 28 Januarij hâc de causâ expreſsè ſcriptâ, cujus hoc principium: *Leo ille rugiens, ille, inquam, cunctis formidabilis Leo ad nos redijt, cujus ungues & mihi timendos video: ſed cataphractus me ab ipſius minis defendam, ſi potero; ſin minùs, incendium meum ruinâ reſtinguam, vel alios, quos itidem offendit, &, quibus gratis eſt iratus, in auxilium accerſam.* Deſcribit deinde ipſius genus, mores & vivendi rationem, ac tandem ſubjungit: *Hujus quoq; Cocodryli lacbrymis & inſidioſæ pietati ego fidens, in non parvum incidi malum, Bibliothecam ipſi patere paſſus, cùm ægrotus in lectulo decumberem; quam ille venatus occaſionem per contubernalem quendam meum, menſâ meâ utentem, juvenem ſine controverſiâ optimum probiſſimumq; introduci identidem in Bibliothecam petijt.* Hucuſq; Blotius. Cætera ejus verba in præſens omitto; acturus quippe aliàs hâc de re prolixiùs, ubi differendũ mihi erit de *Michaële Glycâ, Conſtantino Manaſſe* & *Synopſi* Βασιλικῶν à Joanne Leunclavio editis; nec non de *Prætore Græciæ*, quem citat in Pandecte Hiſtoriæ Turcicæ. Liberrimum ſanè aditum benefi- XLVII cio Hugonis Blotij *Ioannes Leunclavius* ad Bibliothecam Cæſaream habuit, &, ut ex propriâ ipſius ſyngraphâ A. 1586 d. 5 Februarij ſcriptâ, quam inter Blotianas ſchedas repperi, apparet, Codicibus manuſcriptis à *Busbeckio* ex Oriente allatis plurimùm uſus eſt, ſed tantam candidi iſtius & optimè de ſe meriti Viri benignitatem graviſſimâ perſecutione & odio pluſquam Vatiniano compenſavit, ac tanquam ſerpens in ſinu fotus, benefactori ſuo peſſimam rependit gratiam. Exemplum hujus malignitatis luculentiſſimum extat in Præfatione, quam Latinæ Annalium *Glycæ* editioni præfixit; quippe in quâ *Ioannem Sambucum* ad cœlum laudibus extollens, his inter cætera utitur verbis: *Atq; hujus ſanè tàm ſancti, tàm laudabilis inſtituti fructus ampliſſimos percipit, dùm & à literatis ubiq; gentium ſe coli atq; obſervari videt, & in magnorum illuſtriumq; Virorum gratiâ ſuaviter acquieſcit. Cæſar quidem ſeu Philadelphus alter, alterum quendam Demetrium Phalereum Bibliothecæ præfecit, ac Hiſtorici munus ei mandavit: quas ad res quem alium magis idoneum reperirit, equidem non video. Nec eſt cur ejus Viri conſilia, qui univerſitatis Hiſtoriam cum variarum diſciplinarum ſcientiâ tàm feliciter complexus ſit animo, maximis in momentis rerum ab Auguſto ſapientiſſimoq; Principe & requiri lubenter & magnoperè probari dubitem.* Hæc ibi de Joanne Sambuco Leunclavius. Sed profectò, ut veriſ-

ſimum eſt, *Ioannem Sambucum* S. Cæſ. Majeſtatis *Conſiliarium* fuiſſe atq; *Hiſtoriographum*, ſic ſine controverſiâ falſum eſt, eum unquam *Præfectum* fuiſſe *Bibliothecæ Cæſareæ*; nec alio fine id ſcripſit Leunclavius, quàm ut ægrè faceret *Hugoni Blotio*, qui tunc temporis reverà Bibliothecæ Cæſareæ præfuit. Præfectura enim hæc illi demandata fuit ab Imp. *Maximiliano II* A. 1575; quod ſi aliunde non conſtaret, ſaltem ex duabus autographis ipſius *Sambuci* ad *Blotium* epiſtolis, quæ in Bibliothecâ Cæſareâ adſervantur, abundè appareret. Harum primâ, quæ A. 1575 d. 30 Auguſti ſcripta eſt, excuſat ſe, quòd Blotium in recenſendâ Bibliothecâ Cæſareâ non poſſit adjuvare. Principium ejus hoc eſt: *Ad recenſionem librorum ſi teſtimonium oculorum Sambuci ſex menſium adhibitum velis, parùm te, vel quid elucubrem, aut otij ſuperſit, videre dixerim.* Alterâ epiſtolâ, quæ ſcripta eſt eodem anno 1575, d. 10 Septembris, purgat ſe erga Blotium de invidiâ & odio. Principium ejus hoc eſt: *Judicium Cæſaris de conficiendo Indice nudo librorum, inq; alium tranſlato onere, per mihi honorificum duco; quippe cujus Majeſtas optimè novit, mihi ſatis negotij cum meis ſupereſſe. Tuas autem cogitationes de ordine & loco Bibliothecæ Principi adeò placere lætor, idq; inſtitutum tuas virtutes illuſtrabit. Quod verò, mi Bloti, μεμψιμοίρως de nonnullorum invidiâ, fictisq; ſenſibus, & ad rem præſentem compoſitis, ſolicitè commemoras, ad noſtram neceſſitudinem nihil pertinere puto. Dij malè faciant ſuſpicioſis & malevolis, qui nec ingenium æſtimant tuum rectè, nec amicitiæ leges verè, ſed tantùm πραγμάτων ſequuntur.* Vtriusq; epiſtolæ hæc eſt inſcriptio: *Clariſſimo doctiſſimoq; Viro D. Hugoni Blotio, ICto & Bibliothecæ Cæſareæ Præfecto, amico meo ſingulari.* Anno igitur 1575 Præfecturam Bibliothecæ Hugo Blotius adeptus eſt, eamq; retinuit uſq; ad annum 1608, ut certò liquet ex Imp. *Rudolphi II* diplomate, d. 27 Februarij jam dicti anni 1608 promulgato, quo ſucceſſio *Sebaſtiani Tengnagelij* in locum defuncti Blotij confirmatur. Valeat ergo *Leunclavius* cum commentitio ſuo *Sambuci* Bibliothecariatu, &, ſi qui huic falſæ traditioni habuerunt fidem, deinceps eam reijciant.

XLVIII. Cæterùm etſi ex ſuprà citatis ipſius *Blotij* verbis ſatis pateat, quàm damnoſa Bibliothecæ Cæſareæ fuerit nimia commodandorum librorum liberalitas, extat tamen alius quoque de eâdem re notabilis locus in epiſtolâ quâdam *Sebaſtiani Tengnagelij*, qui Blotio in Præfecturâ Bibliothecæ Cæſareæ ſucceſſit, ad V. CL. *Davidem Hæſchelium* Auguſtanum A. 1609 die ultimo Februarij datâ, cujus fragmentum maximè ad rem faciens certas ob cauſas ſubſcribendum cenſeo. *Ad libros Hutterianos*, inquit,

vel

vel potiùs noſtros quod attinet, ſic habeto. Dum ſchedas Blotianas excutio, ſolicitèq; libros aliis commodatos indago, incidi & in hanc chartam, quâ libri Huttero conceſſi ex hâc Bibliothecâ fuêre conſignati hiſce verbis: Libri Eliæ Huttero utendi dati, & Noribergam miſſi A. 1601; videlicet Dictionaria Arabica duo, Nomenclatura Arabica una, & quatuor alii, qui de Aſtronomia tractare videntur; formâ in folio parvo, rubro & nigro corio, more Turcico obducti compactiq;. Hanc itaq; ſchedam ubi inveni, Indices Bibliothecæ noſtræ ilicò conſulo, atq; eos ibi quidem annotatos, ſed in forulis deſideratos reperio. De Huttero igitur inquirendum putavi, quem te indice tandem erui. An verò ſyngrapha aliqua, quâ hoſce libros à D. Blotio ſe accepiſſe conteſtetur, adſit, mihi incompertum eſt. Scriptorum enim & literarum D. Blotii confuſa & indigeſta moles ab exactiori hujus diſquiſitione me hactenùs arcuit. Illud tamen ſcio, illum plerumq; bonâ quidem fide, ſed magno ſuo incommodo Codices nonnullos aliis concedere ſolitum; quâ re factũ, ut complures diſperierint, & ipſe in non levem offenſionem in Aulâ incurrerit. Quâ de causâ bono Seni, cui innatum erat aliis benefacere, parco, & privatis hiſce literis animos Noribergenſium, priuſquam Regium diploma impetrem, tentare ſtatui, ut res noſtras vindicem. Hæc Tengnagelius. Ubi præ cæteris obſervatu dignum eſt, quod ſcribit, *Hugonem Blotium* propter nimiam in commodandis libris facilitatem, & inde profectam complurium Codicum amiſſionem, *in non levem offenſionem in Aulâ incurriſſe.* Habuit nempè is præter *Ioannem Leunclavium* non paucos alios in Aulâ Imperiali potentes adverſarios, qui adminiſtrationi Bibliothecæ Cæſareæ ipſi inhiantes, Codicum commodatione deperditorum jacturam apud Imp. *Rudolphum II* adeò exaggerarunt, ut parum abfuerit, quin ille partim hoc nomine, partim verò etiam religionis prætextu Præfecturâ Bibliothecæ omninò abdicaretur. Meminit hujus adverſitatis ſuæ ipſe *Blotius* in epiſtolâ quâdã ad V.CL. *Ioannẽ Caſelium* A. 1583 ſcriptâ his verbis: - - - - *mihi inſidiantur; Bibliothecæ Cæſareæ adminiſtrationẽ, quam annos quinq; aut ſex ſectati ſunt, jam planè ſpe devorarunt, & vereor, ne fuci iſti tandem in labores meos involent, & quod petunt, auferant. Gratis enim ſe Bibliothecam adminiſtrare velle Imperatori affirmant: me pejorem Lutherano, & Calviniſtam eſſe clamitant. Sciunt enim Calvini doctrinam Cæſari, & omnibus Pontificiis, imò verò etiam ipſis Lutheranis execrabilem eſſe. Laboro itaq; ut mihi in futurum conſulam, ut, ſi evenerit, quod eventurum timeo, locum habeam certum, quo me recipiam. Sola namq; Bibliotheca me adhuc in Auſtriâ retinet.* Ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἐν γούνασι θεῶν κεῖται.

Ut

Vt ut ſit, ſi Bibliothecâ excidero, parietibus ejus hos adſcribam verſiculos: *Hanc mea cura domum polijt; feret alter honorem:*
Sic vos non vobis mella paratis apes.
Ergò, nec invitus diſcedo, valete maligni:
Vos graviora prement: me meliora manent.

Ad eoſdem adverſarios, qui clandeſtinis delationibus Præfecturâ Bibliothecæ illum intervertere ſtuduerunt, pertinere etiam arbitror querelam hanc, quam inter epiſtolas ejus peculiari ſchedulæ inſcriptam reperi: *Qui in Aulâ rem facere volunt, non debent eſſe ſimplices ut columbæ; alioqui implumes domum revertentur, ſicut mihi accidit: ſed prudentes, ut ſerpentes; verſuti item & aſtuti, ut vulpes; furaces, ut corvi; rapaces, ut lupi. Hi diteſcent, hi etiam præmium laudis ob ſcelus ferent; hi ut magni & prudentes homines in ſummo apud omnes erunt pretio O tempora! ô mores!* Hucuſq; Blotius.

XLIX. Licet autem illius inimici non impetraverint, ut *Præfecturâ Bibliothecæ* omninò abdicaretur, hoc tamen tandem aliquando effecerunt, ut illi, tanquam in adminiſtrandâ Bibliothecâ Cæſareâ *prodigo Curator* dat⁹ fuerit *Richardus Streinius*, Baro Auſtriacus in Schwartzenau, S. Cæſ. Majeſtatis Conſiliarius intimus, & Sacri Fiſci Præfectus, cujus *Opus Genealogicum de antiquis Gentibus & Familijs Romanis* Lutetiæ Pariſiorum typis Henrici Stephani in fol. A. 1559 in lucem prodijt. Abſq; hujus igitur conſenſu *Blotius* deinceps ne unum quidem librum cuiquam commodare potuit, ut ipſe conqueritur in epiſtolâ quâdam ad celeberrimum Mathematicum *Conradum Daſypodium* A. 1600, d. 16 Decembris ſcriptâ, cujus fragmentum ad rem præcipuè pertinens, & ex autographo bonâ fide deſumptum, hîc inſerendum cenſeo. *Ita*, inquit, *res nunc in Bibliothecâ ſunt mutatæ, ut nullum meum in eâ diſponendâ ſit ampliùs arbitrium liberum. Omnia hoc & ſuperioribus aliquot annis pependerunt ex arbitrio Liberi Baronis Richardi Streinij, Bibliothecæ Cæſareæ Epiſcopi ſeu Superintendentis, ut vocant; ita ut ne unum quidem librum ipſius injuſſu alicui utendum dare mihi licuerit; neq; etiam permiſſum, ut alicui Bibliothecam viſendam patefacerem, niſi fortè uni ſoli. Is jam mortuus mihi arbitrium in Bibliothecam rurſus liberum reliquit. Sed expecto, quàm mox alius quiſpiam ex Proceribus mediocriter eruditus & gloriæ cupidus, ut Streinius, munus hoc in ſe tranſcribi poſtulet. Cauſa hujus mutationis, ut apertè nullâq; circuitione uſus, quod res eſt narrem, hæc eſt. Cùm primùm Bibliothecæ adminiſtrationem eſſem conſecutus per Augerium Busbeckium, qui & ipſe ante meum tempus fuerat Bibliothecæ Cæſareæ Superintendens, Maximilianum*

Impe-

Imperatorem rogari juſſi, quomodo me in adminiſtrandâ Bibliothecâ gerere deberem; an liceret alios ad viſendam eam admittere? an libros ex eâ depromptos alijs utendos permittere? Reſpondet Cæſar: licere utrumq́, eâ tamen cautione adhibitâ, ne librorum deminutio fiat, & habitâ perſonarum ratione. Bibliothecam enim quantumvis inſtructam, quæ nullius uſui pateat, eſſe inſtar candelæ ardentis quidem, ſed inverſo modio tectæ, cujus lumen nemo percipere poſſit. Ego igitur hâc licentiâ fretus, admiſi ſæpè multos ſimul, quos bonos eſſe Viros putabam, & quorum animos ex meo ipſius animo æſtimabam; ſed non ſemper impunè. Incidi namq́ interdum in fucos, inelegans pecus, qui dulce apum mel turpiter depaſcerentur, hoc eſt, libros Imperatoris communi bonorum uſui deſtinatos, furto ablatos ſibi retinerent. Idem mihi in libris alijs utendis datis accidit. Quidam acceptos, poſteaquam ijs uſi eſſent, fideliter reſtituerunt, alij, & in his - - - - nonnulli, poſt longum tempus repetitos reſtituere recuſantes, ſimularunt eos caſu eſſe amiſſos. Mortuis hiſce - - - -, liberi eorum ſe nihil de his ſcire affirmarunt. Hæc & hujuſmodi alia ad hunc noſtrum Imperatorem emanarunt, qui frænum mihi inijciendum putavit, ac Streinium, qui arbitrio ſuo hæc moderaretur, mihi ſuperimpoſuit. Nunc meæ exiſtimationis ab omni hominum, qui me non rectè norunt, malâ ſuſpicione vindicandæ causâ, Apologiam texo Bibliothecariam, quâ utar tanquam ſpongiâ contra malevolorum aſpergines. Hæc de ſeipſo ipſe Blotius. Unde præter alia multa cognoſcimus, Ephoriam illam ſive Inſpectionem Baronis *Streinij* duraſſe uſque ad annum milleſimum ſexcenteſimum, eodemq́ue anno eum (1) obijſſe. Reli- L.
quit autem inſignem *Bibliothecam,* quæ poſteà in *Cæſaream* transfuſa eſt. Pleriſque ex eâ libris propriâ ipſius *Streinij* manu inſcriptum legitur: *ἀνέχȣ καὶ ἀπέχȣ. R. Strein B. I. S.* Superſunt etiam in Bibliothecâ Cæſareâ nonnulla ejus ſcripta hactenùs inedita, inter quæ etiam eſt imperfectum aliquod *Opus Anti-Anicianum* contra *Arnoldi Wionis,* monachi Benedictini, Dilucidationem Originis Principum Auguſtiſſimæ Domus Auſtriacæ ex antiquâ Romanâ Gente *Aniciâ.* De quâ nobiliſſimâ controverſiâ Genealogicâ pro munere Hiſtoriographi, à Cæſare mihi commiſſo, aliàs ex profeſſo agam in *Prolegomenis* meorum *Annalium Auſtriacorum,* & quàm potero luculentiſſimè demonſtrabo, veterem illam *Alberti Argentinenſis* traditionem de Auguſtiſſimæ Domus Habsburgo-Auſtriacæ Origine, ab antiquâ Romanâ Gente *Aniciâ Perleoniâ* derivatam, quam Glorioſiſſimi Romanorum Imperatores *Maximilianus I* & *Carolus V,* alijq́ue Principes Auſtriaci, ut veram & inde ab Ipſius

(1) *Obijt A. 1600. die 8. Novemb. circa tertiam horâ pomeridianâ in arce* Freideck, *anno ætatis, 63, teſte* Andreâ Huſano *in Epicedio manuſcripto, quod adſervatur in Bibliothecâ Cæſareâ.*

Imperatoris *Rudolphi I* temporibus ad ſe propagatam, validiſſimâ approbatione ſuâ confirmarunt, primò quidem ab *Arnoldo Wione*, monacho Benedictino, in (1) Opere de Initijs Ordinis S. Benedicti, quod *Lignum Vitæ* inſcripſit, egregiè illuſtratam & non mediocriter ſtabilitam, ſecundò autem à *Joanne Seifrido* Abbate Zvvethalenſi (2) in Opere, cui *Arboris Anicianæ* titulum indidit, plurimis validiſſimiſque argumentis adeò ſolidè & perſpicuè eſſe corroboratam, ut de veritate antiquæ hujus, & uſque ad Imp. *Maximiliani I* tempora unicæ opinionis nemo ampliùs jure poſſit dubitare. Equidem haud me latet, *Gaſparem Scioppium*, (3) hominem, ut notiſſimum eſt, ingenij maligni & oris maledicentiſſimi, qui propter præſtantiſſimorum, & de re literariâ optimè meritorum Virorum invidas ac injurioſas calumniationes meritò *Canis Grammaticus* appellandus eſt, doctiſſimum illud & elegantiſſimum Abbatis *Seifridi* Opus cavillatoriâ, & convitioſâ duorum quaternionum *Diſceptatiunculâ*, Conſtantiæ typis Joannis Georgij A. 1651 in 12mo impreſsâ, malitioſè vellicare ac criminari auſum eſſe: ſed profectò extrema hæc illius ac prorsùs monſtroſa detractandi prurigo nulli Viro docto, qui in ſtudijs literarum tractandis humanitatem ac candorem amat, magis placere poteſt, quàm effrænata petulantia Opuſculi ejuſdem farinæ, quod contra R.P. *Famiani Stradæ* præclaram de Bello Belgico Hiſtoriam compoſuit, & inſolentiſſimo titulo *Infamiam Famiani Stradæ* appellavit. Intollerandum certè eſt, quod in jam memorato famoſo contra *Seifridum* libello eundem pag. 17, propterea quòd Imperatores *Maximilianum I* & *Carolum V* teſtes allegaverit, *feſtivum* vocat *hominem ac caput lepidiſſimum*, & ad eludendum adeò validum argumentum, à teſtimonio duorum Imperatorum, qui in natalibus ſuis inveſtigandis diligentiſſimi fuerunt, deſumptum, verbis Sacræ Scripturæ, *Omnis homo mendax*, injurioſè pariter ac impiè abutitur. Judicent pro me hîc alij, quanta ſit dementiâ, Glorioſiſſimos Imperatores, quòd in re obſcurâ antiquæ opinioni, quam à Majoribus quaſi per manus traditam acceperant, aſſenſum præbuerint, *mendaces* appellare; cùm tamen ipſe Scioppius in eodem famoſo libello propugnatores novæ opinionis, nempe *Joannem Stabium*, qui primus ſub Imp. *Maximiliano I*, non ſtudio veritatis, ſed, ut Joannes Cuſpinianus teſtatur, ex merâ adulatione, Originem Auguſtiſſimæ Domus Habsburgo-Auſtriacæ, à Francorum Regibus derivatam, excogitavit; nec non *Hieronymum Gebuillerum*, qui idem figmentum à Stabio mutuatus eſt; ut & *Jacobum Manlium* & *Wolfgangum Lazium*, qui eandem fictitiam Genealo-

(1) *Prodijt Venetijs typ. Georgij Angelerij A. 1595 duobus Voluminibus in 4to.*

(2) *Prodijt Vindobonæ ſive Viennæ Auſtriæ typis Ioannis Fidleri A. 1613 in fol.*

(3) *Huc pertinet, R. P. Alberti de Albertis è Soc. Ieſu Opus, cui titulus* Lydius lapis ingenij, ſpiritus ac morum Gaſparis Scioppij. *Prodijt Monachij typis Luc. Straubij A. 1649 in 12mo.*

nealogiam novis adinventionibus incruſtarunt, omnes conjunctim *Nugatores* nuncupet. Ipſa Scioppij verba hæc ſunt: *Stabius, Gebuillerus, Manlius & Lazius multa de Theodeberto & filio ejus Sigeberto fabuloſa & adverſis velut frontibus inter ſe pugnantia tradiderunt; quoniam nullam eis veri curam fuiſſe ſatis conſtat. Sed mihi nihil cum ejus generis nugatoribus eſt negotij.* Hæc Scioppius. Si ergo ipſius judicio nugatores fuerunt, qui antiquam illam de Origine Domus Habsburgo-Auſtriacæ traditionem fabuloſis inventionibus primi oppugnarunt, ſumma injuriâ ab illo *Mendacij* arguuntur Sacratiſſimi Imperatores *Maximilianus I* & *Carolus V*, eò quòd eandem antiquam traditionem de Natalium ſuorum Origine contra eos, quos ipſe *Nugatores* vocat, defenderint. Sed hâc de re in præſens ſatis. Cætera enim quæ huc pertinent, & cùm de *Scioppio*, tùm de *Franciſco Guillimanno*, qui tertiam de Origine Auguſtiſſimæ Domus Habsburgo-Auſtriacæ in Habsburgiacorum libris ſeptẽ, Mediolani A. 1605 in 4to excuſis, publicavit, dicenda ſuperſunt, ea in ſuprà promiſſis *Annalium Auſtriacorum Prolegomenis* accuratè pertractabuntur. Interim operæpretium me facturum arbitror, ſi hîc inſeruero, quid Ampliſſimus & ſolidiſſimè doctus Vir, *Sebaſtianus Tengnagelius*, qui, ut paulo pòſt memorabitur, tertius ante me Præfectus Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ, & ſimul Præfectus fuit Senatus Vindobonenſis, de eximio illo R. Abbatis *Joannis Seifridi* Opere Anicianæ Arboris ſenſerit: cujus quidem limatiſſimum judicium mille Scioppiorum invidis cavillationibus præfero. Is igitur in Relatione præfixâ tribus prioribus libris *Arboris Anicianæ*, quorum Inſpectio ac Cenſura à S. Cæſ. Majeſtatis Interiori, ut ipſe vocat, & Sanctiori Conſilio ſibi injuncta fuerat, ſententiam ſuam de Seifridiano illo Opere Genealogico & tota hâc cõtroverſiâ his verbis indicat: *Genealogiæ Auſtriacæ à Reverendiſſ. & Doctiſſimo Dn. Abbate Zwethalenſi ſummo ſtudio, incredibili labore atq; omnifariâ multijugæ lectionis copia contextæ Opus, quo Inclytæ & Cœli Soliſq; vis, ut ait ille, conterminæ Gentis Auſtriacæ ſeriem ab Aniciâ & Perleoniâ Romanâ vetuſtiſſimâ, nobiliſſimâ & ſemper florentiſsimâ longo deductam ordine arceſſit, dignum omninò, quod in Principum & literatorum manus exeat, publiciq; juris quàm primùm fiat, exiſtimo. Vulgaria enim opinio, quæ Illuſtriſſ. hujus Domus ſtemma Regum Francorum nothæ & adulterinæ originationi inſerit, ſub Maximiliano I & Ferdinando A, A. Impp. in Stabij, Menlij, Tritbemij & Gebuilleri officinis primùm procuſa; deinde à Lazio varijs teſſellis incruſtata, falſoq; interpolata, magnâ confuſione, repugnantia, temporum inſcitiâ, te-*

 ſtium

ſtium omni exceptione majorum penuriâ, &, quod familiam ducit, hominum ſuppoſititiorum inſertione laborat. Hæc verò, quam R. D. Abbas tuendam atq; exornandam ſuſcepit, ante Stabium & reliquos ſuprà enumeratos auctores, vulgari ac trito omnium, atq; adeò ipſorum Archiducum ore fuit celebrata, conſtanti famâ divulgata, deniq; auctorum antiquitate, nobilitate ac eruditione illuſtrium ſcriptis jam inde à Rudolpho I Habsburgico variè aſſerta & hucuſq; propagata. Nam, ut plures inſuper habeam, extant in Bibliothecâ Cæſareâ tres veteres non contemnendæ notæ manuſcripti auctores, qui in hanc manibus pedibuſq;, ut fertur, concedunt ſententiam, eamq; ut communem, paſſivā atque cunctorum auribus linguiſq; uſurpatam produnt. Hæc de Abbatis Seifridi Arbore Anicianâ Tengnagelius. Quibus in præſens

LI. miſſis, ad Hugonem Blotium nunc redeo. Fuit is, ut ipſe in ſubſcriptione modò citatæ ad *Daſypodium* Epiſtolæ teſtatur, annos jam natus *ſexaginta ſeptem*, cùm Richardus Streinius moreretur; quocirca, cùm per ætatem Bibliothecam Cæſaream ſolus non poſſet amplius adminiſtrare, adjunctus illi non multo pòſt fuit pro adjutore ſive Vicario V. CL. *Sebaſtianus Tengnagelius*, qui, ut deinceps prolixiùs memorabo *plenam Bibliothecæ Cæſareæ Præfecturam* A. 1608 conſecutus eſt. Quod demùm ad ſcripta ab *Hugone Blotio* edita attinet, recenſentur ea à *Franciſco Sweertio* in Athenis Belgicis hoc modo: *Hugo Blotius, Delfius Batavus, qui Bibliothecæ Imperatoriæ Maximiliani & Rudolphi II Viennæ præfuit, edidit.*

Orationem in duorum Iuvenum Adriani Friſij Tigurini, & Laurentij Eisleri Patricij Viennenſis homicidas:

Orationem Paræneticam Lovanij habitam ad Iuventutem, an rectè parentes liberos ſuos Lovanium, moribus ſtudijsq; informandos mittant?

Oratiunculam de Elephante, nuper in has regiones invecto, & de Horologijs Lovanienſibus, Antuerpiæ typis Silvij anno 1564 in 4to.

Hæc Sweertius. Præter illa autem ſcripta Blotiana inveni inter recentiores Bibliothecæ Cæſareæ Codices Latinos manu exaratos etiam alia nonnulla, quorum

I *Hodœporicum*, earum rerum, quas in *Italia* vidit & obſervavit, ſummam continens; cujus epiſtola dedicatoria ad Nobiliſſimum Juvenem *Ludovicum ab Hutten*, ſcripta eſt Patavij Kal. Januar. A. 1571 in 8ctavo.

II Commentarius de *Monetâ & re nummariâ antiquâ & novâ*, in 4to.

III

III Commentarius *de ponderibus & menſuris variarum gentium*, in 4to.

IV *Hiſtoria Genealogica Auguſtiſſimæ Domus Auſtriacæ* ab anno 1455 uſq; ad annum 1588, in 8ctavo.

V Hiſtorica deſcriptio celeberrimi *Conventus Imp. Maximiliani I & trium Regum Hungariæ, Bohemiæ, atq; Poloniæ*, celebrati Vindobonæ ſive Viennæ Auſtriæ A. 1515, menſe Julio, Lat. & German. in 4to.

VI Acta publica ad *Hiſtoriam Polonicam* pertinentia, quorum titulus eſt hic: *Miſcellanea rerum Polonicarum: hoc eſt: Conſultationes de eligendis Poloniæ Regibus initæ, Ordinum Regni Decreta, Senatus conſulta, Diplomata, Legatorum Orationes; Literæ item privatim & publicè de rebus Polonicis ſcriptæ, multaq; alia huc pertinentia, jam inde ab Henrici Andium Ducis (qui nunc Galliarum Rex eſt) ex Galliâ in Poloniam adventu uſq; ad hæc tempora magno undiq; ſtudio collecta ab Hugone Blotio S. Cæſ. Majeſtatis Bibliothecario A. 1576.* in fol.

VII *Inventarium Bibliothecæ Cæſareæ* A. 1575 inchoatum & A. 1576 abſolutum quatuor Voluminibus in folio.

VIII *Catalogus Bibliothecæ Rumpfianæ* A. 1583 compoſitus juſſu Illuſtriſſimi Excellentiſſimiq; Viri Dn. *Wolfgangi Rumpfij*, S. Cæſ. Maj. Conſiliarij Intimi & Præfecti Sacri Cubiculi, in folio.

IX. *Catalogus Bibliothecæ Ioannis Sambuci Tirnavienſis* compoſitus A. 1587, in folio.

X. *Oratio ſive Libellus ſupplex pro Bibliothecâ Cæſareâ ad Imp. Maximilianum II* A. 1576 menſe Aprili, in folio.

XI. *Conſilium de augendâ & ornandâ Bibliothecâ Cæſareâ* A. 1579 *ad Imp. Rudolphum II*, in folio. Extat in hoc Conſilio notabilis deſcriptio Bibliothecarij, quam digniſſimam judico, ut hic à me inſeratur: *Priuſquam*, inquit, *de officio Bibliothecarij loquamur, obiter, qualis deligi debeat Bibliothecarius, conſideremus, ut ex qualitate fungentis officium magis eluceſcat. Requiri itaq; videtur, ut Bibliothecarius à reliquis muneribus ſit liber, linguarum multarum habeat cognitionem, ſit juſtus, laborioſus, fidus, induſtrius, non pauper, non ſuperſtitioſus, amans rei literariæ, & naturâ in promovendam rem Bibliothecariam propenſus. Itaq; propterea inprimis libertatem & à reliquis*

curis vacuitatem requiro, quod rerum variarum multitudine diſtractus, officio hoc ſuo minùs perfectè fungi poterit. Bibliotheca enim tàm copioſa, talisq́; , quæ nomine Imperatorio digna ſit, non tantùm totum requirit hominem, verùm etiam famulorum, & amanuenſium operas atq́; horum omnium labores continuos. Et aliquantò poſt: *Addideram Bibliothecarium non debere eſſe ſuperſtitioſum. Nam cùm nihil magis deceat ſummi Monarchæ Bibliothecam, quàm (non ſecùs atq́; in horto aliquo herbario, quem quis completiſſimum cupit, herbæ non tantùm ſalutares, verùm etiam noxiæ & venenoſæ habentur) libros omnium rerum, linguarum, artium, & religionum eâ contineri: Bibliothecarius, ut Pharmacopola æquè intrepidè toxica atq́; ſalubria medicamenta tractat, ita in Bibliothecâ quicquid invenerit, tractare & conſervare æqualiter ſtudebit. Superſtitioſus autem ſuæ tantùm religionis libros curabit, poliet & conſervabit, reliquarum verò, affectibus deditus, incuriâ perire patietur; cùm tamen interſit omnium eorum, qui veram religionem defenſam atq́; conſervatam cupiunt, adverſariorum ſuorum libros alicubi inveniri poſſe, quorum argumenta argumentis diluant ac confutent.* Hucuſq́; Blotius. Notabile inſuper eſt, quod ex eodem *Conſilio* diſcimus, petiiſſe tunc Hugonem Blotium ab Imp. *Rudolpho II*, ut quiſquis deinceps Præfectus eſſet Bibliothecæ Cæſareæ, hoc ipſo cenſeretur *Nobilis* & *Conſiliarij S. Cæſ. Majeſtatis titulo* uteretur. Verba Hugonis Blotij eò pertinentia hæc ſunt: *Reliquum eſt, ut de Bibliothecarij dignitate pauca dicantur. Quâ re, quia cum nonnullâ gloriæ cupiditate conjuncta eſſe videtur, libens ſuperſederem, niſi eandem cum non parvâ Bibliothecæ Cæſareæ utilitate cohærentem cernerem. Romæ, qui Bibliothecæ Vaticanæ præeſt, Cardinalis eſt; Florentiæ item Magni Hetruriæ Ducis, Monaci Ducis Bavariæ, & Pariſijs Galliarum Regis Bibliothecis nobiliſſimi & maximæ celebritatis Viri Præfecti ſunt. Hi quocunq́; veniunt, auctoritatis pleni, facilè ſibi abditos & pretioſos aliorum Principum theſauros librarios, patefactos habent, facilèq́; rerum ſingularium & librorum non vulgatorum copiam atq́; deſcriptionem impetrant. In Monaſterijs, Arcibus, & Civitatibus non facilè illis aditus ad res præclaras, quæ adſunt, viſendas negatur. Quanquam*

autem

autem Auguſtus Nominis Imperatorij ſplendor Bibliothecario ſuo ſatis auctoritatis addere apud unumquemq; debebat, neſcio tamen quomodo fiat, ut non tantùm apud vulgus imperitum, verùm etiam apud homines nobiliores, pleriq; ex veſtibus & titulis æſtimentur. Ad veſtitus rationem quantum attinet, Bibliothecarius, ſi talis erit, qualem ſuprà requiſivi, ipſe ſe ex conditionis ſuæ dignitate gerere noverit. Sed cum tituli, honores & dignitates ab Imperatoriâ Majeſtate maximè procedant, non abſre fortaſſis eſſet ad augendam apud homines Bibliothecarij Cæſarei exiſtimationem, Conſiliarij nomine clementer ipſum condecorare, etſi nulla antiquæ proſapiæ ſuæ ſtemmata proferre, aut claros natales oſtendere poſſet, Indulgentiæ Imperatoriæ beneficio ipſi Nobilitatem clariorem conſtituere, quò ad quoſcunq; veniret Principes vel Populos honoratior, & acceſſum ad luſtranda ea, quibus Auguſta S.Cæſ. Majeſtatis Tuæ Bibliotheca illuſtrari poſſet, procliviorem haberet, & charior eſſe acceptiorq; omnibus poſſet. Hactenus Blotius.

XII. Reperi inſuper præter jam enumerata Hugonis Blotij ſcripta in Bibliothecâ Cæſareâ extantia, etiam *Adverſaria Epiſtolarum* ejus & libellorum ſupplicum; nec non *duo* ſpiſſa *Volumina* autographarum epiſtolarum, quas ad eundem Blotium miſerunt complures ſuperioris & hujus ſeculi Viri celebres. Sunt autem inter illas *Davidis Chytræi* decem, *Tychonis Brahe* una, *Joannis Caſelij* triginta ſeptem, *Georgij Calamini* triginta ſeptem, *Joachimi Camerarij* una & viginti, *Joannis Cratonis* quinquaginta ſex, *Martini Cruſij* quinque, *Caroli Cluſij* una, *Joannis Cocini* octo, *Conradi Daſypodij* ſeptem, *Remberti Dodonæi* una, *Nicaſij Ellebodij* viginti, *Jani Gruteri* undecim, *Huberti Giphanij* ſexaginta quatuor, *Pauli Meliſſi* una, *Chriſtophori Plantini* una, *Reineri Reineccij* duodecim, *Conradi Rittershuſij* octo, *Joannis Sambuci* undecim, *Joannis Sturmij* novemdecim, *Roberti Sidnei* una, *Henrici Savilij* una, *Friderici Sylburgij* una, *Gaſparis Scioppij* duæ, *Hieronymi Wolfij* tres, *Bonaventuræ Vulcanij* una, *Nicolai Iſthvanffy* una, *Joannis Kepleri* una, *Ludovici Lavateri* una, *Juſti Lipſij* duæ, *Hieronymi Mercurialis* octo, *M. Antonij Mureti* duæ, *Theodori Zvingeri* una & viginti, ac demum *Augerij à Busbecke* octo; interquas una eſt maximè notabilis, quam Lutetiæ Pari- LII.

Pariſiorum A. 1579 d. 8 Novembris ſcripſit de libris à ſe allatis ex oriente, & Bibliothecæ Cæſareæ conſecratis, quos culpâ nonnullorum rei literariæ oſorum, qui pecuniario tantùm lucro dediti eſſent, periculo interitus, vel ſaltem ignominioſæ venditionis obnoxios eſſe intellexerat. Integrum illius epiſtolæ exemplum hoc eſt:

Gratum mihi feciſti, Magnifice Bloti, quòd me de periculo & caſu librorum illorum Græcorum feciſti certiorem. Ergò vetuſtatis injuriam, Turcorum immanitatem & barbariem Græcorum ideò effugerant, ut in Cæſareæ Domus penetralibus ſitu computreſcerent; tot maris & terræ & itineris longinqui caſus ſuperaverant, ut in portu naufragium facerent. Dij veſtram fidem. Venditionem mihi narras? Ego donatos, abjectos cupio; meum diſpendium negligo, modò ſint incolumes. Miſeret peregrinorum & hoſpitij indigentium, tecto tamen recipit nemo. Tibi tamen in dolore habeo gratiam, quòd mihi, quicquid id eſſet, per te notum eſſe voluiſti. Scripſi denuò ad Cæſarem: item ad Dominos Adamum à Dietrichſtam & Rudolfum Khun, ſi fortè ea res illorum miſerorum caſum remorari poſſet. Vale.

Hæc itaq; epiſtola plurimùm affert lucis alteri cuidam, quæ extat inter ejuſdem Busbeckij epiſtolas ad Imp Rudolphum II, à Joanne Baptiſtâ Houwarto Bruxellenſi Lovanij A. 1631 in 8ctavo editas, & his verbis concepta eſt:

Scribitur mihi à Cæſ. Majeſtatis Veſtræ Cameræ Conſiliarijs, libros, quos ejus Bibliothecæ, ſuperſtite etiamnum divæ memoriæ Imperatore Maximiliano, ante annos, ni fallor, ſeptem addixeram & conſecraveram, mille florenis æſtimatos. Quam ſummam, ſi eâ Cæſ. Majeſtati Veſtræ viſum eſt munus remunerari, ſanè ampliſſimum duco, & Cæſ. Majeſtati Veſtræ eo nomine humillimè magnam habeo gratiam. Sed ſi ea, ut pretium æſtimatæ mercis, pro tot & talibus libris, Cæſ. Majeſtatis Veſtræ Bibliothecæ propter canitiem perpetuo ornamento & auctoritati futuris rependitur & imputatur, facere non poſſum, quin eam juſto pretio longè inferiorem ponam: quod pro dignitate librorum, & eâ, quâ ſemper eos colui, obſervantiâ reticendum non putavi; nam mihi certũ eſt, quamcunq; Cæſ. Majeſtatis Veſtræ boni conſulere. IX *Octobris* CIƆ IƆ LXXXIII.

Haud injuriâ profectò *Busbeckius* de iniquâ præſtantiſſimorum Codicum æſtimatione ſic conqueſtus eſt, quippe cùm ex numero eorum *ducentorum circiter & quadraginta*, qui tunc omnes conjunctim *mille florenis* æſtimati fuerunt, vel *decem* tantùm longè

gè majus pretium mereantur, ut poſthac alibi ex ſpeciali eorundem Codicum deſcriptione evidentiſſimè apparebit.

Concludam nunc totam de Hugone Blotio narrationem *Inſcriptione* Bibliothecæ Cæſareæ, inter ſchedas ejus repertâ, quâ *Ianuam* Bibliothecæ introducit vice ſuâ ſic loquentem:

Clauſa malis, ſed aperta bonis ego Ianua, donec,
Quid te velim, ſcias, rogo
Siſte pedem; quiſquis tanto tu dignus honore es,
Vt Cæſaris librariam
Ingrediare Domum; dignum te judico multâ
Fide: ergo greſſum promove,
Atq; ex Cæſareis cape delectamina libris.
Sed heus relinque ſervulos
A tergo, veniamq; mihi da tale petenti.
Invita, at experta, id peto,
Quod peto. Litterulis tu paſcas lumina, quiſquis
Es dignus Domo Cæſaris.
Servis mens brevis eſt; ſunt pallia longa, manuſq;
Longæ malis, breves bonis.
Sic ego non ſervis, Dominis ſed ſervio doctis;
Sed doctis, qui ſimul boni.
Sic Domini ſecura mei, ſic ſervio famæ,
Ne ipſum petat calumnia.
Serve mane, Domine ingredere, &, quod Cæſaris eſt, id
Memento ſanctum Cæſari.

DIXI INTERPRES BLOTII.

Inſcriptioni huic adijciam auctarij loco V. CL. *Davidis Chytræi Epigramma* Græcum in Bibliothecam Cæſaream, quod reperi in quâdam ipſius ad *Hugonem Blotium* epiſtola, A. 1583, d. 12 Novembris ſcriptâ, & ita ſe habet:

Ἐν βίβλοισι δ' ἐγώ τόσσαισι καλίνδομαι αἰεὶ,
Ὅσσα ὁ παμφαίνων οὐρανὸς ἄστρα ἔχει.
Δρεψόμενος τῇ μὲν καρποὺς, τῇδ' ἄνθε' ἐρευνῶν,
Τῇ μὲν ἄρ' εὐμαθίης εἵνεκα, τῇδέ χαρᾶς.
Ἀντὶ μὲν οὖν πάντων αἱροῦμαι Βιβλιοθήκην
Αὐγούστην, οὔγης κρείττονα τήνδε φιλῶ.

Hactenùs de *Hugone Blotio*. Venio nunc ad V. CL. *Sebaſtianum Tengnagelium* I. V. D., natione *Belgam*, patriâ *Buranum*, qui defuncto Blotio A. 1608 ſucceſſit in plenâ Præfecturâ Bibliothecæ LIV.

Cæſareæ. Fuit is Vir candidus & humanus, laboris, ultrà quàm credibile eſt, patiens, amantiſſimus boni publici, ſolidiſſimèq; doctus, & variarum linguarum cognitione, ac rerum tàm divinarum, quàm humanarum notitiâ inſtructiſſimus. Hic ſuperſtite adhuc Blotio novum confecit Bibliothecæ Indicem Ordine Alphabetico, ſecundùm nomina Auctorum, integris *quinq;* voluminibus in folio conſtantem, quem inchoavit A. 1602, abſolvit autem ſummâ animi corporiſque contentione A. 1605. Poſt mortem verò *Hugonis Blotij;* primùm quidem operam dedit, ut egregia ejus *Bibliotheca privata* in *Cæſaream* transferretur, deinde ſeparavit *manuſcriptos* Codices totius Bibliothecæ Cæſareæ à libris *impreſsis*, quibus uſq; ad illud tempus permixti fuerant; & non tantùm librorum *impreſſorum* novum compoſuit Catalogum ſecundùm continuam numerorum ſeriem, verùm etiam *manuſcriptorum* Codicum peculiares confecit Indices ſecundùm diverſitatem linguarum, varietatemq; argumenti, & ordinem *numerorum*, quibus ſinguli Codices notati ſunt. Auxit deniq; totam Bibliothecam tàm multiplici, ſelecto ac pretioſo additamento, ut *Busbeckio* & *Sambuco* hâc ratione non tantùm non cedat, verùm etiam cum ijſdem de palmâ poſſit contendere. Univerſalis enim illi familiaritas & amicitia interceſſit cum pleriſque doctis Viris, qui à principio hujus ſeculi uſque ad annum 1636, quo ipſe obijt, præ cæteris claruerunt, nec ſolùm in Belgio, Germaniâ, Galliâ, Hiſpaniâ, Italia & Europæo Turcici Imperij tractu, ſed & in Aſiâ & Africâ rariſſimos quoſque libros per eoſdem indagavit, & ſumptu pluſquam privato vel coemit archetypos, vel ex archetypis deſcribi curavit. Tranſirem nunc ad ſpecialem deſcriptionem præſtantiſſimæ Bibliothecæ, accuratiſſimo delectu ab ipſo comparatæ, cujus ſplendore nunc Cæſarea, cui permixta eſt, meritò gloriatur; & commemorarem, quàm multis, quamque raris *manuſcriptis Codicibus Latinis, Græcis, Hebraicis, Arabicis, Turcicis, Perſicis, Syriacis, Armeniacis*, & *Æthiopicis* inſtructa ſit, quantâ abundet copiâ & varietate ſelectiſſimarum *editionum* claſſicorum Auctorum, quantum contineat numerum *autographarum Epiſtolarum* doctiſſimorum Virorum hujus ſeculi, inter quas etiam non paucæ ſunt *Hebraicæ, Arabicæ* ac *Syriacæ*; quàm multos denique complectatur *manuſcriptorum Codicum* in diverſis illuſtribus Bibliothecis latitantium *Catalogos*; inter quos minimùm triginta ſunt, quibus *Hebraicæ, Arabicæ cæterarumq; Orientalium linguarum Bibliotheca* plurimùm poteſt augeri: verumenimverò quandoquidem hoc argumentum adeò vaſtum eſt & amplum, ut, ſi

illud

illud in Epiſtolâ hâc vel obiter tractare vellem, in magnitudinem ea prorsùs monſtroſam excreſceret, neceſſariò, quicquid eo pertinet, commodiori loco reſervandum eſt. Interim facere non poſſum, quin de eximio ejus profectu in ſtudio *linguæ Arabicæ* inſignem adſcribam locum ex V. CL. *Iſaaci Caſauboni* Epiſtolâ A. 1607 ad ipſum miſsâ, quæ in Joan. Georgij Grævij recentiſſimâ Epiſtolarum Caſauboni editione eſt quadringenteſima nonageſima. *Cœpimus*, inquit, *Lexicon nobis conficere Arabicum. Auſi & eramus Geographiam Arabicam, Romæ editam, facere latinam. Poſuimus & in Avicennâ aliquid temporis. Sed ubi ſocium laborum iſtorum amiſimus, adoleſcentem Fleſsingenſem, ad miraculum uſq; in his literis verſatum, ſpes noſtræ retro cœperunt labi; neq; adbuc opportunum tempus indipiſci potuimus ſitis hujus noſtræ explendæ. Utinam propiùs abeſſemus, haberes me diſcipulum, ut quondam ὁ μακαρίτης juvenis Fleſſingenſis.* Hæc Caſaubonus Reperi etiam inter *Adverſaria Epiſtolica* ipſius *Tengnagelij* epiſtolam quandam ad eundem *Iſaacum Caſaubonum* A. 1610 ſcriptam, quam digniſſimam judico, ut integra hîc inſeratur, quoniam ex eâ non tantùm elucet, quantâ diligentiâ linguam excoluerit Arabicam, verùm etiam quàm univerſalis amicitia illi cum quibuſcunq; illorum temporum viris doctiſſimis interceſſerit. Sequitur nunc exemplum Epiſtolæ. LV.

Scaligeriana illa opuſcula tuo, Clariſſime & Eruditiſſime Caſaubone, ſtudio divulgata ut vidi, ut perij, ut vehemens inceſſit ardor. Incredibile enim dictu, quanto me gaudio cumularint, inprimis elegantior illa literarum ad Te inſerta, quâ gemmâ hæc opuſcula mirificè auges exornaſq;, atq; utinam reliqua, quæ in armarijs tuis aliorumq; doctorum occluſa latent, Te munerario in Solem lucemq; prodirent. Ferculum enim epiſtolarum hoc primum delicatioris palati propolis ſalivam movit quidem, ſed orexin non explevit. Quare ut cæteris, quæ Arabicarum opum theſaurum undiq; congeſtum continent, nos primo quoque tempore bees rogo. Incredibili enim hujus linguæ ſtudio flagro, atq; eorum, qui hoc in amore corrivales exiſtunt, amicitiam ambitioſè affecto. Sæpiùs itaq; Tecum, V. CL. hoc de ſtudio per literas egi, ſed nihil præter unicam ſingularis in me benevolentiæ indicem & plurimum à me eliciam, hactenus à Te redditam quid cauſæ ſit, haud exputo, niſi quòd meas, quas Francofurtenſibus Bibliopolis commiſeram, aut intercidiſſe, aut negligenter curatas eſſe, haud vanè auguror. Quare & nunc ſcriptionem itero, eamq; communi amico noſtro. D. Heſchælio commendo. Non rogabo multis, ut mutuum hoc literarum alloquium frequentemus crebriùs,

briùs, ne in humanitatem tuam, promptam obviamq́; cuivis, peccare videar. Quare poſthac ἄνευ προοιμίε ſimpliciter & de plano ex vero & ſincero pectore tecum agam: Idem ut & Tu facias, & amicitia noſtra & ſtudiorum communium fœdus ſuo jure depoſcit. Abjectâ itaq́; circuitione, quicquid in buccam veniet, effundam, & quaſi per Satyram, quæ ex Te ſcire velim, congeram. Inprimis Adagia illa Arabica quando proditura ſint, & quis nam Thomas ille Erpenius, item Stephanus Aubertus, Arabicæ linguæ periti ſint, quidve agant. Velim etiam, ut Arabicorum librorum tuorum & Regiorum aliarumq́; linguarum Orientalium brevem Indiculum ſubmittas. Lexicon illud trilingue & Coſmographus tuus, quorum in epiſtolâ mentio, quidnam contineant; & ubi ſcripta, vel unde comparata, quæ ſe explanes latiùs: quibus ut & alia, quæ cùm in hoc ſtudio, tùm in claſſicis Auctoribus elaboras, adijcias oro. Magno enim lucubrationum tuarum deſiderio quot nuudinis teneor eorumq́; amore inflammatus, vel ſolam titulorum conſignationem mihi edi diſcuperem. Batavis meis ingentem illum Scaligeri theſaurum, niſi cum bono literario publicent, equidem invideo. Cui bono enim βιβλιοταφὴ illa, ſi ſitu tenebrisq́; damnata, in ſcenam literariam, quo & doctiorum Senatus Equesq́; applaudat, non prodeat. Sed bona ſpes eſt fore, ut Te auctore ac Heinſio annitente ac Myſtagogo, opertanea illa literarum ſacra cum magnâ laude vulgentur. Si etiam nunc ſuperreſſet magnus ille Vir, omnibus anniterer modis, ut quædam manuſcripta Arabica, Turcica & Hebraica mihi deſcribere liceret. Adeſt enim Hebraici & Turcici librarij copia, qui Turco-Arabicum illud lexicon & Turco-Perſicum, quod Scaliger magnis optavit votis, explanare & interpretari poſſet: item Paraphraſtas illos, in Geneſin & Pentateuchum inquam, literis Hebraicis & linguâ Arabicâ exaratos per Judæum quendam, cujus hic facilis copia, exſcribi curarem; ſed, ut ἀνεμώλιον hoc votum ſit, vereor. Utinam lexicon illud à Scaligero congeſtum, à Gulielmo le Bè amico noſtro, cæteraque, quæ & Tu moliris in hoc ſtudiorum genere, deſcribantur. Kirſtenius noſter ſpecimen haud contemnendum edidit, ſed typi noſtri elegantiâ Kirſtenianis antecellunt. In vitis Evangeliſtarum à me acceptis, aliquoties lapſus eſt, quæ errata ut caſtiget alterâ editione, amicè ſubmonui. Atq́; de hiſce, ne nimis obtundam, hactenùs. Unicum etiamnum, niſi pudoris & modeſtiæ lineâ aberrare viderer, à Te peterem, Polybianam videlicet Hiſtoriam tuam, tuis illuſtratam Commentarijs. Quicquid in eam impenderis, cum gratis gratijs rependam lubens. Ad Jonam Rhodium Bibliopolam Francofurtenſem,

ſi

ſi placuerit, eam mitte. Illuſtriſſimo D. Thuano & doctiſſimo Morello ſalutem, obſequium & cultum meo nomine ut nunties, Teq; admiſſionali in amicitiam eorum admittar, amicè rogo. Multis Te obruo, V. CL, ſed, ut ſpero, volentem ac lubentem. Si quid viciſſim à me velis, audiat jus, audiat fas, impera audacter, & impetrabis. At hiſce vale & vive Magnum ævi noſtri ornamentum, & literis tuis, quas vel ad Heſchœlium vel Rittershuſium diriges, primo quoque tempore, cùm per negotia licebit, me exhilara. Dabam præpropere inter turbas Viennæ Auſtriæ XXVII Novemb. A. M. DC. X.

Ex hâc *Tengnagelij* epiſtola præter alia multa hoc quoque videre eſt, quanti is *Joſephum Scaligerum* fecerit, ideoq; haud mirum eſſe, quòd ex defuncti Bibliothecâ nonnullos libros, *propriâ ipſius manu* notatos, correctos & illuſtratos magno pretio ſibi comparaverit. Inveni jam ejus generis nō paucos in *Bibliothecâ Cæſareâ*, inter quos præ cæteris tres, ut rari inprimis, ita maximè mihi chari ſunt: nempe *Strabo Geographus* à Guilielmo Xylandro græcè & latinè editus Baſileæ A, 1571 typis Henric-petrinis in folio; tùm *Stephanus de Vrbibus* ab eodem Xylandro græcè editus Baſileæ typis Oporinianis A. 1568 in fol. ac deniq; *Epigrammata & Poëmatia vetera latina* Pariſijs excuſa à Dionyſio Duvallio A. 1590 in 12mo. Quantùm LVI.
porrò idem *Tengnagelius* deditus fuerit illuſtrandæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, teſtantur varia veterum Auctorum opuſcula, eò pertinentia, & ab ipſo, aut per alios ipſius benignitate primùm edita, quæ aliàs commodiori loco recenſebo in *Catalogo Autorum & Monumentorum veterum, quæ ex varijs Codicibus Manuſcriptis Bibliothecæ Cæſareæ primùm in lucem prodierunt.* Interim audi R. P. *Jacobum Gretſerum,* qui in Defenſionis ſuæ contra *Goldaſtum* præfatione ad Lectorem meritò honorificentiſſimam *Tengnagelij* facit mentionem his verbis: *Alteram hujus Operis partem, quæ complura Vetera & hactenùs inedita Monumenta pro Gregorio VII aliiſq; Pontificibus Romanis lectori exhibet, debes, mi Lector, Clariſſimo I. V. Doctori, Domino Sebaſtiano Tengnagel, Cæſareæ Bibliothecæ, quæ Viennæ eſt, Præfecto, Viro non tantùm Latinè, ſed & Græcè, Hebraicè, Chaldaicè, Arabicè doctiſſimo, & antiquitatis Eccleſiaſticæ ſtudioſiſſimo.* Hæc Gretſerus. De his igitur alijſq; antiquis Monumentis, vel ab ipſo Tengnagelio, vel ipſius permiſſu per alios editis, aliàs accuratiùs agam; additurus inſuper, quàm damnoſa illi quoque fuerit nimia interdum in commodandis Codicibus manuſcriptis facilitas, & quàm ingratos pleriquè eorum, cum quibus eos communicavit, ſe præbuerint. Fuerunt profectò hâc in re longè cautiores illo Præfecti aliarū Illu-

 ſtrium

ſtrium Bibliothecarũ; quippe qui bonitate ejus in rem ſuã uſi, multos præſtãtes Codices ex Bibliothecâ Cæſareâ ad ſe curarunt tranſmitti, quibus deſcriptis Bibliothecarum ſuarum auxerunt famam ac gloriam; at cùm noſter Tengnagelius vice versâ communicationem alicujus Codicis manuſcripti petijt, prætextu interdicti repulſam paſſus eſt. Notabilis eâ de re extat querela in Epiſtolâ quadam ad R. P. *Jacobum Gretſerum*, A. 1610 d. 20 Novemb. datâ, his verbis: *Unum, quod in ſinum tuum effundam, etiamnum reſtat. Libros aliquot Hebraicos & Arabicos e - - - Bibliothecâ utendos & deſcribendos accipere velim, ſed quantùm conjecturâ augurari videor, huic voto meo repugnabunt ij, qui minimè debebant. Ex Bibliothecâ enim noſtrâ duodecim vel plura volumina Hiſtorica deprompta meâ potiſſimùm operâ in - - - avecta ſunt; hâc præcipuè ſpe, ut paria facerent: alioquin ne paginam quidem unam obtinuiſſent.* Hæc ibi Tengnagelius. Ejuſdem bonitati debet poſteritas *Volumen Epiſtolarum, quas Romani Pontifices Gregorius III, Stephanus III, Zacharias I, Paulus I, Stephanus IV, Adrianus I & Antipapa Conſtantinus miſerunt ad Principes & Reges Francorum Carolum Martellum, Pipinum & Carolum Magnum, olim quidem ſtudio & curâ ipſius Caroli M. collectum, anno autem 1613 à R. P. Jacobo Gretſero Ingolſtadij in 4to editum.* Codex manuſcriptus membranaceus antiquiſſimus, & hactenùs in Orbe terrarũ unicus, ex quo Epiſtolæ illæ dèſumptæ ſunt, adſervatur etiã nunc in Bibliothecâ Cæſareâ, inter Codices Hiſtoricos Latinos numero *centeſimus nonageſimus octavus*, & ut ex ſcripturâ & alijs circumſtantijs evidentiſſimè apparet, ſine controverſiâ ipſo Imp. *Caroli* M. ævo ſcriptus eſt. Quòd autem ex hoc Bibliothecæ Cæſareæ Codice editio R. P. *Gretſeri* prodierit, teſtatur ipſe in fine præfationis ad Lectorem his verbis: *Unum addo, & verbis compendium facio. Epiſtolas iſtas debes, Candide Lector, Nobili & Eruditiſſimo Domino Sebaſtiano Tengnagel, J. V. D. Cæſareæ Bibliothecæ Viennæ Præfecto, qui eas ad me publicandas humaniter miſit. Quo beneficio omnes Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ & antiquitatis amantes arctiſſimo nexu ſibi obſtrinxit.* Hæc ibi de Tengnagelio Gretſerus. Eidem *Tengnagelio* debet etiam *Gallia*, quicquid ſibi gloriæ acquiſivit editione Græco-Latinâ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ *Nicephori Calliſti*, quæ A. 1630 typis veterum meorum & varijs temporibus ac modis optimè de me meritorum amicorum, Dnn. *Sebaſtiani* & *Gabrielis Cramoiſy*, duobus Voluminibus in folio Lutetiæ Pariſiorum prodijt. Quemadmodum enim latina *verſio V. CL. Joannis Langi Auſtriæ* debetur, ſic quoque *contextus Græcus* debetur *Bibliothecæ Cæſareæ* vetuſto

vetuſto Codici membranaceo inter Hiſtoricos Græcos MStos N. 1, qui permiſſu *Tengnagelij* migravit *Lutetiam*, & abſolutâ impreſſione in *Bibliothecam Cæſaream* redijt. Et hâc quidem de re in præſens LVII. ſatis. Cæterùm præterquam quòd Sebaſtianus Tengnagelius Præfectus fuerit Bibliothecæ Cæſareæ, conſtituit inſuper eundem S. Cæſ. Majeſtas *Præfectum Senatus Vindobonenſis*, qui linguâ vernaculâ der Anwald des Stadt Rahts zu Wien / vel aliquanto breviùs der Stadt-Anwald appellatur, & Principis loco Senatui præſidens, curam præcipuè gerit, ne quid in Ipſius præjudicium agatur; ut apparet ex Imp. *Ferdinandi I* Conſtitutione de Ordinatione & Privilegijs Urbis Vindobonenſis, nec non ex *Wolfgangij Lazij* capite ſexto libri quarti Rerum Vindobonenſium, ubi omnes *Præfectos Senatus* ab A. 1400 uſque ad ſuam ætatem enumerat. Hanc igitur duplicem Præfecturam, Bibliotheæ videlicet Cæſareæ & Senatus Vindobonenſis, non minùs lubens ſuſcepit, quàm fideliter ac probè adminiſtravit. *Hiſtoriographi* autem munus, quod illi non multo poſt demandatam Bibliothecæ Præfecturam oblatum fuit, conſtanter recuſavit ſuſcipere, tanquam periculoſum nimis & nimis arduum. Meminit ipſe hujus recuſationis & cauſæ recuſandi in duabus epiſtolis A. 1610 ſcriptis, quas inter ſchedas ejus reperi. In priori, ad R. P. *Georgium Sturnum* Profeſſorem Pragenſem ſcriptâ, hæc eâ de re ipſius verba ſunt: *Hiſtoriographi munus hîc mihi oblatum eſt, quod, utpote anceps & periculo obnoxium, non abſq; offensâ repudiavi.* In poſteriori autem ad alium quendam amicum epiſtolâ aliquanto prolixiùs eâ de re ſic ſcribit: *Delatum eſt mihi à Regijs Conſiliarijs Hiſtoriographi munus, ut videlicet res per XVI annos in Hungaria cum Turcis geſtas, literis mandarem, verùm tamen cùm ſit multorum calumnijs atque adeò periculo obnoxium veritatem aperto ore profiteri, recuſavi hoc onus cum incommodo meo, & non abſq; offensâ Conſilij Secretioris. Ulcera enim noſtrorum temporum ſuperiorum nutu ac renutu in magnum veritatis præjudicium contrectanda eſſent. Valetudinis itaq; imbecillitatem obtendi, & manum ab hoc, ut ita dicam, Chironio vulnere abſtinere prudentiorum ſuaſu decrevi.* Hæc de Hiſtoriographi munere à ſe recuſato ipſe Tengnagelius. Cùm itaque, ut ſuprà dictum eſt, & *Præfecturam Bibliothecæ Cæſareæ* & *Præfecturam Senatus Vindobonenſis* laudabiliter adminiſtraſſet, obijt A. 1636 d. 4 Aprilis, ætatis ſuæ anno *ſexageſimo tertio*. Epitaphij ejus, quod orientali parieti Baſilicæ Cathedralis *S. Stephani* etiam nunc extrinſecùs affixum cernitur, Inſcriptio hæc eſt:

SEBA-

SEBASTIANVS TENGNAGEL IVRECONSVLTVS, NATIONE BELGA, PATRIA GELDER, DOMO BVRANVS, IMPP. RVDOLPHI II, MATTHIÆ, FERDINANDI II A. A. A. CONSILIARIVS, BIBLIOTHECARIVS, SENATVSQVE VIENNENSIS PRÆFECTVS, VIR DISERTVS, LINGVARVM QVINDECIM PERITVS: VIS SCIRE QVARVM? HEBRAICÆ, SYRIACÆ, CHALDAICÆ, PERSICÆ, ARABICÆ, TVRCICÆ, ÆTHIOPICÆ, GRÆCÆ, LATINÆ, ITALICÆ, GALLICÆ, HISPANICÆ, GERMANICÆ, BELGICÆ, ANGLICÆ. SED HEV! TOT LINGVAS IN VNO VIRO MAXIMO PHOEBI ET MVSARVM MOERORE SERA MORS INTERCLVSIT PRID. NON. APRIL. A. M. DC. XXXVI ÆTATIS EIVS A. LXIII. IACET HIC CVM CONIVGE VRSVLA BLOTIA, NATA VNGELTERIN A TEISSENHAVSEN SVEVA, IDIBVS MAIIS A. M. DC. XXVIII DEFVNCTA. ABI LECTOR, ET, HORVM MANIBVS ÆTERNA GAVDIA APPRECARE.

LVIII. Poſt mortem *Tengnagelij* ſatisfactum ſine morâ fuit ultimæ ipſius voluntati de celeberrimâ ſimul ac ſelectiſſimâ Bibliothecâ ſuâ pluſquam quater mille rariſſimorum tàm manuſcriptorum, quàm impreſſorum Voluminum in Auguſtiſſimam *Bibliothecam Cæſaream* transferendâ; cujus quidem rei ſpecialem curam eruditiſſimo fideliſſimoque Amanuenſi quondam ſuo ac Vice-Bibliothecario, Dn. *Ioanni Michaëli Metzlero,* qui nunc in *Ampliſſimo Vrbis Vindobonenſis Senatu* jure & merito honorificum locum obtinet, moribundus inſtantiſſimè demandaverat. Quod ad præſtantiam autem & dignitatem iſtius Bibliothecæ attinet, eâ de re, ut (1) ſuprà jam promiſi, commodiori loco ſpeciatim ac ſeorsùm acturus ſum. Interim tamen facere nō poſſum, quin ex *Teſtamento Tengnagelij*, propriâ ipſius manu A. 1633 Kal. Decembris ſcripto, & A. 1636 die 19 Aprilis ſolenniter publicato, inſignem hîc inſeram locum, ex quo, quid ipſe de Bibliothecâ ſuâ ſenſerit, & quàm fuerit ſolicitus, ut ea poſt mortem ſuam *Auguſtiſsimæ Bibliothecæ Cæſareæ* adjungeretur, videre eſt. Principium Teſtamenti hoc eſt:

(1) *Vide ſuprà Epiſtolæ hujus Segmentū LIV: nec non* Martini Zeilleri *Itinerariū Germaniæ Nouantiquæ Part.* 1 *cap.* 13 *pag.* 300, & Matthæi Meriani

Cùm tremat horribili Germanica terra tumultu,

& ætas mea nunc devexa, flaxa fragiliſq; & leviculæ cuique mutationi in dies obnoxia, quotidie aurem vellicet & ſubmoneat, ut tempeſtivè ſarcinulas meas colligam, & de reculis meis, licet vilibus,

bus, licet tenuibus, teſtando diſponam, ſanâ mente in corpore ſano paucis id ſcripto huic commendabo. Inprimis igitur animam meam, &c. Hinc poſt alia multa ſequitur demùm mentio Bibliothecæ his verbis: *Bibliothecam autem meam, ſuaviſſimum animi literis imbuti pabulum, & unicam miſeriarum humanarum officinam Medicam, raris multis atq; melioris notæ Codicibus, ac pretioſis inventuq; difficillimis Manuſcriptis Hebraicis, Chaldaicis, Syriacis, Arabicis, Perſicis, Turcicis, Armenis, Æthiopicis, Græcis, Latinis, Hiſpanicis, Italicis, Gallicis*, &c. *conſtantem, ne variè diſtrahatur, ac imperitis in uſum cucullorum ſerviat, Cæſareæ Bibliothecæ, ceu monumentum ære perennius, aggregandam lubens relinquo: hâc tamen conditone, ut mille & quingentos florenos pro eâdem (cùm quatuor millibus & ampliùs florenorum valeat) Venerando Conventui Virginum Sanctimonialium Carmelitanarum*, (1) *in ædibus meis conſtituto, Sacratiſſimâ Dominâ Imperatrice ad hoc gratiam & auctoritatem ſuam interponente, Cæſarea Majeſtas perſolvere dignetur: cum hâc ſupradicti Venerabilis Conventus expreſsâ obligatione, ut ſingulis ſeptimanis pro meâ & Uxoris meæ animâ conjunctim unum tantùm Sacrum celebrari curet: ſin autem Reverendus Conventus hanc conditionem ſuſcipere recuſet, alteri loco pio cum eâdem obligatione pecunia Cæſarea pro Bibliothecâ meâ applicetur.* Hæc de Bibliothecâ ſuâ ipſe Tengnagelius. Ut igitur pretioſiſſimâ hâc acceſſione incredibiliter tunc aucta fuit Auguſtiſſimæ *Bibliothecæ Cæſareæ* dignitas, ſic contrà eodem tempore graviſſimum illa accepit detrimentum amiſſione præſtantiſſimæ elegantiſſimæque *Bibliothecæ Coraducianæ*, quæ *Tengnagelij* temporibus ab Illuſtriſſimi Viri *Rudolphi Coraducij*, S. Rom. Imperij ſub Imp. Rudolpho II Vice-Cancellarij, hæredibus empta, & Bibliothecæ Cæſareæ adjuncta fuerat. Hæc enim ſtatim poſt mortem *Tengnagelij* ab Imp. *Ferdinando II* donata fuit *Domui Profeſſæ Patrum Societatis* Jesu *Vindobonenſi*: quam alienationem *Tengnagelius*, quoad ipſe fuit ſuperſtes, pro ſingulari ſuo erga Bibliothecam Cæſaream amore omnibus modis ac rationibus conſtantiſſimè impediverat. Supereſt etiam nunc inter Tengnagelianas ſchedas ſupplex ad S. Cæſ. Majeſtatem libellus, quo comparationem jam memoratæ *Coraducianæ Bibliothecæ* vehementer ſolicitans, adeò honorificam illius facit mentionem, ut operæ pretium me facturum arbitrer, ſi ipſa ejus verba hîc inſeruero. Eâ autem hæc ſunt.

Topographiam Provinciarum Auſtriacarum in deſcriptione Urbis Vindobonenſis pag. 45.

(1) *Appellatur nunc vulgò* zu den ſieben Büchern; *lat. Ad ſeptē libros.*

I Sacra-

Sacratiſſima Cæſarea Majeſtas,
Princeps Clementiſſime.

AUguſtæ Majeſtatis Veſtræ juſſis obſecutus, Bibliothecæ Coraducianæ Catalogum à Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo Principe, Epiſcopo Viennenſi, mihi exhibitum, à capite uſq; ad calcem accuratè perlegi & excuſſi, atq; in illâ complures auctores præclaros atque eximios, Theologos, Jureconſultos, Medicos, Hiſtoricos, Philoſophos, Mathematicos ac Philologos, Græcos etiã & (1) Hebraicos, qui Bibliothecæ Cæſareæ deſunt, ineſſe deprehendi. Præterea, etiã ſi nonnulli in Bibliothecâ Imperiali contineantur, ex veteri ſcilicet editione multis in locis corruptâ, nihilominus Coraduciani, utpote recentioribus & melioribus typis excuſi, Cæſarianis longè ſunt præferendi. Deinde in Coraducianâ variæ SS. Patrum Græcorum & Latinorum editiones extant, quas cùm hæretici depravatas eſſe aſſerant, perfacile ex hiſce exemplaribus convinci poſſunt. Multos etiam manuſcriptos Græcos & aliarum linguarum ob imperitiam exſcriptorum Catalogo huic necdum inſertos Dn. Coraducius affirmat. Addit & compacturam librorum elegantem, ornatam, & blattarum tinearumq; injurijs haud quaquam obnoxiam eſſe. Numerus librorum, ut idem ait, ciſtis centum plus minùs incluſorum, ad octo millia & ampliùs aſcendit. Extant in eâ magni pretij opera S. Thomæ Aquinatis, S. Bonaventuræ, Toſtati Abulenſis, Gloſſa ordinaria Nicolai de Lyra, omnes SS. Patres Græci & Latini aliquoties, Biblia Regia, quæ nunc venduntur trecentis florenis, Tractatus Tractatuum in jure, rarum, opus, &c. Cùm itaq; junior Dn. Coraducius hanc Patrui ſui, eximiæ eruditionis Viri, qui me ante triginta annos ob linguarum & hiſtoriarum cognitionem ſibi à ſtudijs & libris adeſſe olim voluit, Bibliothecam Sac. Cæſ. Majeſtati Veſtræ liberaliter offerat, theſaurum hunc è manibus nequaquam eſſe amittendum, ſed Bibliothecæ Imperatoriæ, veluti ornamentum & augmentum incomparabile, aggregandum cenſeo, ac humillimè oro & obſecro. Hanc Auguſtam in libros munificentiam, Sacratiſſime Imperator, omnes Muſarum Antiſtites, Conſiliarij veſtri, & variæ literatura eruditione perpoliti, gratiſſimo laudum elogio proſequentur, & æternis literarum monumentis celebrabunt. Feliciter,

N. M. V.

devotiſſimus Seb. Tengnagel.

(1) *Quantùm Vir Illuſtriſſimus* Rudolphus Coraducius *Hebraicæ linguæ deditus fuerit, abundè apparet ex libro* Jetzirah, *manu ipſius propria ſcripto, qui etiam nunc in Bibliothecâ Cæſareâ adſervatur, & in frontiſpicio hanc Inſcriptionem continet:* Hunc lib. Rudolphus Coraducius V. I. D. ſuâ manu deſcrib. Pat. Ant. 1583. *Plura de libro* Ietzirah *vid. Hiſtoriæ meæ Literariæ lib. 1. cap. 6. pag. 52 & 53.*

Eâdem ſchedâ ejuſdem Tengnagelij manu hæc ſubſcripta leguntur.

Reverendiſſime & Illuſtriſſime Princeps.
Præſul Viennenſis & Cremiſanenſis:

Per omnia Muſarum ſacra quantis poſſum precibus obnixiſſimè rogo, ut Bibli-

Bibliothecam Coraducianam nobis impetratam det, ne alius eam temerè raptet, & nos ſperatâ poſſeſſione defraudemur. Valeat & vivat Illuſtriſſima Celſitudo Veſtra proſperrimè.

Hæc Tengnagelius de *Bibliotheca Coraduciana*, quæ, ut ſuprà memoravi, ſtatim poſt Ipſius mortem ab Auguſtiſſimâ Bibliothecâ Cæſareâ avulſa, & in Domum Profeſſam Societatis JESU tranſlata eſt. Quod porrò ad ſupremam Bibliothecæ Cæſareæ Præfecturam, LIX. quæ obitu *Tengnagelij* vacare cœperat, attinet, commiſſa ea fuit die decimo ſeptimo Maij jam memorati anni 1636 Nobiliſſimo & Experientiſſimo Viro, Dn. *Wilhelmo Rechbergero*, S. Cæſ. Majeſtatis Conſiliario & Archiatro; de quo, quod ſcribam, nihil habeo, præterquam quòd anno 1651 propter ætatem ingraveſcentem clementiſſimo S. Cæſ. Majeſtatis permiſſu ipſe ſuâ ſponte Bibliothecarij munus depoſuerit; ſuccedente in ejus locum Reverendiſſimo Dn. *Matthæo Mauthero*, SS. Theologiæ Doctore & Cathedralis Baſilicæ Vindobonenſis Canonico, cujus mentio jam aliquoties ſuprà facta eſt. Huic Viro *Bibliotheca Cæſarea* hoc potiſſimùm nomine valdè obligata eſt, quòd celeberrimam *Bibliothecam Fuggerianam*, à Magnifico Viro Dn. *Raymundo Fuggero* Impp. Caroli V & Ferdinandi I Conſiliario fundatam, & à filio ejus *Joanne Jacobo Fuggero*, cujus *Hieronymus Wolfius* in præfatione primæ editionis Annalium Zonaræ meminit; ut & à nepote ejus Generoſiſſimo pariter ac omnigenæ eruditionis amantiſſimo Barone *Philippo Eduardo Fuggero* magnificentiâ & impensâ prorsùs Regiâ auctam atque exornatam, juſſu Glorioſiſſimi Imp. *Ferdinandi III* ab Illuſtriſſimo Comite *Alberto Fuggero* A. 1655 *quindecim millibus florenorum* ſive *decies mille Imperialibus* emerit, & A. 1656 Auguſtâ Vindelicorum in Bibliothecam Cæſaream feliciter tranſtulerit. Continet ea ſecundùm primam quidem & ſubitaneam deſignationem, quæ Cæſari A. 1655 Auguſtâ Vindelicorum fuit tranſmiſſa, (13828) *tredecies mille & octingenta viginti octo Volumina;* ſecundùm accuratiorem verò ſupputationem minimum (15000) *quindecim voluminum millia.* Certò quoq; conſtat, eam ante graviſſimum hujus ſeculi bellũ Germanicũ (80000) *octoginta millibus florenorũ,* & poſt illud (40000) *quadraginta florenorum millibus* potuiſſe divendi, ſed propter certas cauſas S. Cæſ. Majeſtati (15000) *quindecies tantùm mille florenis* addictã fuiſſe. Transferenda Vindobonam, incluſa fuit quinquaginta duobus magnis dolijs & duodecim ciſtis, ac porrò quinque ratibus & uni navi impoſita, per Danubium eò devecta eſt. Pleriſque libris elegantiſſimè compactis extrinſecùs impreſſum eſt nomen *Philippi*

Eduardi Fuggeri hiſce tribus literis ſingularibus aureis: P. E. F. Quin etiam inter cæteras res raras ac artificioſas, quæ Bibliothecæ Fuggerianæ adjunctæ, in Bibliothecam Cæſaream tranſmigrarunt, ejuſdem eſt *Philippi Eduardi* effigies ſecundùm juſtam corporis magnitudinem egregiè depicta cum hac Inſpriptione. A. 1615. PHILIPPVS EDVARDVS FVGGERVS ÆTATIS ANNO LXX. Huc quoque pertinet tabula marmorea artificioſiſſima, quæ itidem nunc in Bibliothecâ Cæſareâ adſervatur, & Inſcriptionem hanc cum ſubjuncto Epigrammate continet.

M. D. LXXI
D. O. M.
AD GENEROSVM AC NOBILEM VIRVM,
DOMINUM
PHILIPPUM EDUARDUM FUGGERUM
BARONEM, DOMINUM IN KIRCHBERG
ET WEISSENHORN, &c.

Eſt res magna bonis ortum eſſe parentibus, atq;
A claris clarum ducere nomen avis.
Nec minor eſt animi, peperit quam vivida virtus,
Nobilitas: hæc vel ſola beant hominem.
En Tibi, quo deſit nihil, eſt utrumq; paratum:
Illud ſorte Tibi contigit, hoc operâ.
Ergo diu felix fruere his, Generoſe PHILIPPE
Atropos & laribus parcat amara Tuis.

Natus fuit hic *Philippus Eduardus Fuggerus* A. 1546 d. 11 Februarij, & patrem habuit *Georgium*, qui A. 1569 obijt; avum verò *Raymundum*, qui primus fundamenta jecit Bibliothecæ Fuggerianæ, de quâ in præſens agitur, & mortuus eſt d. 3 Decemb. A. 1535: quo eodem anno ab inſigni Mathematico *Martino Furtenbachio* ipſi dedicata & oblata fuit ingens illa admirandi prorsùs artificij *Sphæra*, totius Univerſi machinam, tàm æthercam, quàm elementarem accuratiſſimè exhibens, quæ nunc inter præcipua Bibliothecæ Cæſareæ ornamenta jure ac merito numeratur. Exornata ea undiquaque, eſt varijs ſubtiliſſimæ ſculpturæ imaginibus, & ſuffulta *Atlante*, qui dexterâ manu tenet circinum, toto autem reliquo corpore & ſiniſtræ manus ſubſidio eam incurvatus ſuſtinet. Septentrionem verſus affixa eſt ferrea lamina inaurata cum hac inſcriptione: *Viro Magnifico Dn. Raymundo Fuggero, Invictiſſimorum Caroli V Imperatoris, Ferdinandi primi Regis Romanorum à Conſilijs, prudentiſſimo, ſtudioſorum*

☞ JOANNES FUGGER

Civis Auguſtæ Vindelicorum primarius circa A. 1370.

Tabula hæc Genealogica pertinet ad Epiſtolæ hujus Segmentum LIX. *inter pag.* 68 *&* 69.

JACOBUS

Ex opulento negotiatore Imp. Maximiliani I Conſiliarius, qui mortuus eſt A. 1469 d. 14 Martij.

VLRICVS
natus A. 1441 d. 9. Octobr. mort. A. 1510. d. 14 April. Hic eſt, qui cum fratre Georgio primus ex hâc familiâ *Baro & Dominus in Kirchberg & Weiſſenhorn* declaratus eſt ab Imp. *Maximiliano I* A. 1504.

GEORGIUS I.
natus A. 1453. d. 10 Maij: mortuus A. 1506. d. 14 Maij.

RAYMVNDVS I,
natus A. 1489 d. 14 Octob. mortuus A. 1535 d. 3 Decemb. Hic eſt, qui fundamenta jecit *Bibliothecæ Fuggerianæ*, Vindobonam A. 1656 translatæ, & cui *Martinus Furtenbachius* dedicavit magnam illam Sphæram Coſmographicam, quæ nunc in Bibliothecâ Cæſareâ adſervatur.

ANTONIVS,
natus A. 1493 d. 10 Januar. mortuus A. 1560 d. 14 Sept. Hic quoque itidem ut frater, inſignem maximis ſumptibus ſibi comparavit *Bibliothecam*, ut teſtantur *Henricus Pantaleon* Parte tertiâ Operis de illuſtribus Viris Germaniæ & *Hieronymus Wolfius* in præfatione primæ editionis Annalium Zonaræ.

JOANNES JACOBVS,
natus A. 1516 d. 22 Decemb. mortuus A. 1575 d. 14 Julij. Meminit illius Hieron. Wolfius in Præfat. Annal. Zonaræ his verbis: *Quartum Codicem, qui à Conſtantino M. incipiebat, omnibus ornamentis Ampliſſimi Viri, Domini & Mecœnatis mei, Ioannis Iacobi Fuggeri Bibliothecâ inſtructiſſima ſuppeditavit.*

GEORGIVS II.
natus A. 1517 d. 21 Novemb. mortuus A. 1569. d. 25 Auguſt.

PHILIPPVS EDVARDVS,
natus A. 1546 d. 11 Febr. mortuus A. 1618 d. 14 Aug. Hic eſt qui *Bibliothecam Fuggerianam*, ab Avo fundatâ, præ cæteris plurimùm auxit & exornavit.

OCTAVIANVS
nat. A. 1549. d. 17 Jan. mort. A. 1600 d. 31 Auguſti.

ANTONIVS II
nat. A. 1552 d. 9 Auguſti mor. A. 1615 d. 13 April.

RAYMVNDVS II
nat. A. 1553 d. 13. Dec. mor. A. 1606 d. 16 Febr.

HUGO

nat. A. 1589 d. 7 Novembris: mort. - - - -

CAROLVS PHILIPPVS
nat. A. 1622, d. 17 Octobr. mort. A. 1654 d. 27 Septemb.

ALBERTVS
nat. A. 1624 d. 12 Novemb. Hic eſt, qui *Bibliothecam Fuggerianam* Imp. *Ferdinando III* A. 1655 vendidit.

ſorum Mocœnati, pauperum Chriſti aſylo cantatiſſimo, Martinus Furtenbachius Abuſiacus, Aſtrophilus typum hunc Coſmographicum univerſalem compoſuit atque dedicavit Anno à nato Chriſto M. D.XXXV. Ejuſdem *Raymundi Fuggeri* liberalitate collegit & edidit eximius Mathematicus *Petrus Apianus* Inſcriptionum antiquarum Syntagma, quod Ingolſtadij majuſculis literis A. 1534 in folio impreſſum eſt. Hic itaque *Raymundus*, ut ſuprà dictum eſt, avus fuit Baronis *Philippi Eduardi*, qui A. 1618 d. 14 Auguſti obijt, abavus autem Comitis *Alberti*, qui Bibliothecam à majoribus collectam, & à ſe probè conſervatam, S. Cæſ. Majeſtati A. 1655 vendidit. Verumenimverò, quò clariora ſint, quæ de origine & translatione Fuggerianæ Bibliothecæ hactenùs memorata ſunt, Schema ecce adjungo Genealogicum, quo præcipuæ perſonæ huc pertinentes exhibentur. ☞

Et hæc quidem hâc de re in præſens ſufficiant. Plura autem ejus generis alia addam, cùm poſthac, volente Deo, tàm generatim de universâ illâ omnium facultatum, ſcientiarum & artium libris inſtructiſsimâ Bibliothecâ Fuggerianâ, quæ nunc Cæſareæ pars eſt, quàm ſpeciatim de manuſcriptis ejus Codicibus, & inprimis quidẽ de Hiſtoricis, Politicis, Mathematicis ac Chymicis, quorum maximus eſt numerus, ſuo tempore accuratiùs diſſeruero. Commemorabo tunc etiam, quantum Auguſtiſsima Bibliotheca Cæſarea eodem hoc ſeculo aucta fuerit beneficio præclaræ Bibliothecæ nobiliſsimi Aſtronomi *Tychonis Brahe*; cujus, ut & *Wilhelmi Schickardi, Mæſtlini, Kepleri, Petri Gaſſendi* aliorumq; nonnullorum clariſsimorum Mathematicorum variæ *Obſervationes, Epiſtolæ* atque alia eximia monumenta hactenùs inedita, & maximam partem propriâ manu ſcripta ibidem adſervantur. Nunc enim tempus non permittit, ut ſpeciali hujuſmodi rerum recenſioni immorer. Cùm igitur, LX. ut ſuprà memoravi, Reverendiſsimus Dn. *Matthæus Mauchterus* anno hoc 1663 d. 26 Maij *Bibliothecæ Cæſareæ Præfecturâ* ſpontè ſe abdicaſſet, eaque nomine S. Cæſ. Majeſtatis per traditionem clavium ab Illuſtriſsimo Sacri Cubiculi Præfecto Dn. *Joanne Maximiliano Comite de Lamberg* mihi eſſet demandata, eodem adhuc die inſtaurationi ejus admovi manum, & tandem aliquando poſt longam ac incertam oberrationem bonâ fide cum Muſis redij in gratiam. Cæterùm quo in ſtatu *Bibliothecam Cæſaream* tunc deprehenderim, & quid hactenùs à me in eâ adminiſtrandâ præſtitum ſit, paucis nunc indicabo. Quod primum nempe ad *ædificium*, in quo collocata eſt, attinet, id profectò tale eſt, ut quemadmodum olim

M. Lollius in *Galbam*, eruditione & eloquentiâ clarum, ſed gibboſo corpore deformem, per jocum dixit; *Ingenium Galbæ malè habitare;* ſic ſummo Jure de Bibliothecâ Cæſareâ dici poſsit, eam pro dignitate ſuâ non habitare ſatis commodè. Jam primùm enim varijs *incendij periculis* maximè obnoxia eſt, partim propter multos *caminos*, qui ex *Cameræ Aulicæ*, ſupra quam ſita eſt, infimâ & mediâ contignatione educti, omnes per eam tranſeunt; partim verò etiam propter *tabulata lignea*, quibus fornicum loco ſupernè tecta eſt. Deinde quamvis *locus*, ubi collocata eſt, per ſe quidem ſatis amplus atque vaſtus ſit, reſpectu tamen multitudinis librorum revera *anguſtiſſimus* eſt, adeò ut non tantùm parietes repoſitorijs ſive loculamentis, à pavimentis tectotenùs extructis, circumquaque oppleti ſint, & quicquid inter parietes medij eſt ſpatij, in varia diſtinctum ambulacra, & altiſsimis loculamentorum ſubſtructionibus occupatum ſit, verùm etiam, licet minimùm *mille* hujuſmodi ſint *loculamenta*, attamen ne ita quidem libri omnes ordine ſtare poſsint, ſed multa millia cumulatim conſtipata jaceant. Prætereà ex *octo* illis, quibus Bibliotheca conſtat, *conclavibus*, pleraque *obſcura* & *humida* ſunt, nec libero fruuntur aëris tranſitu, ideoque nec ad uſum, nec ad conſervationem librorum ſunt idonea. Ut autem obſcuritate potiſsimùm laborant conclavia poſtica, ſic quæ *antica* ſunt & in viam publicam habent proſpectum, adeò ſunt *obnoxia pulveri*, ut ferè quotidiè purganda ſint. Huc denique accedit *Sphæriſterij*, quod è regione ſitum eſt, *vicinitas*, non tantùm tædioſa propter obſervatoris ludi & ludentium vociferationem, verùm etiam periculoſa & noxia propter pilas inde evolantes, quæ plerumq; tanto impetu feneſtras Bibliothecæ penetrant, ut fragmenta vitri longè latèque diſsipentur. Ratione ergò *ædificij*, tanquam *corporis* Bibliothecæ, lubens ac ultrò concedo, duabus illis rebus, quibus mulierculæ, vel pueri, vel illiterati aut ſemidocti homines præſtantiam Bibliothecarum metiri ſolent, nempe ſpecioſâ amplitudinis uno intuitu comprehenſibilis extenſione, & affectato externæ pulchritudinis ornatu, *Cæſaream* noſtram longè ſuperari à multis Bibliothecis, quæ alioqui indignæ ſunt, ut cum eâ comparentur: quod verò ad *animam* ejuſdem, hoc eſt, ad *libros ipſos*, & reliquam eò pertinentem literariam ſupellectilem attinet, optimâ fide conteſtor & conſtanter affirmo, illam *nulli* earum Bibliothecarum, quæ nunc in Orbe terrarum præcipuæ habentur, vel copiâ, vel dignitate cedere. Certò enim conſtat, & vel ex ſolo *mille loculamentorum* numero, ſi ſingulis loculamentis *octogena* tantùm *volumina* aſſignentur, evidentiſſimè appa-

ret,

ret, eam nunc continere minimùm OCTOGINTA MILLIA VOLVMINVM. *Voluminis* autem appellatione intelligo integrum Codicem, manuſcriptum vel impreſſum, peculiari compacturâ comprehenſum vel comprehendendum, ſive unum librum & unum Autorem, ſive plures libros & plures Autores unius argumenti vel diverſorum argumentorum, unius linguæ vel diverſarum linguarum, unius editionis reſpectu temporis & loci, vel diverſarum editionum complectatur. Germani noſtri hujuſmodi volumen nuncupant ein Stück vel einen Band. Quod quidem propterea inprimis tàm clarè ac perſpicuè exprimo & declaro, ne quis fortè, dum Bibliothecam Cæſaream minimum *octoginta Voluminum millia* continere refero, amphiboliam ſive æquivocationem ſub appellatione *voluminis* latitare exiſtimet. Suſceptâ igitur hujus tàm numeroſæ, ſed LXI. ſimul etiam confuſiſſimæ Bibliothecæ Præfecturâ, hunc in eâ inſtaurandâ ſervavi ordinem. Principiò *ædificium* ipſum, quantum extrema poſtularet neceſſitas, curavi reſarciri, ſicubi malè materiatum & ruinoſum perplueret, aut feneſtras vel nullas haberet vel laceras. Progreſſus deinde ad excuſſionem librorum & purgationem conclavium, præcipua mihi cura fuit *Græcorum Codicum manuſcriptorum*. Latitabat maxima eorum pars pulverulenta, confuſa, fœtida & diuturno ſitu propemodum putrefacta in conclavi tenebricoſiſſimo, ubi meridie ipſo, ſi quis videre vellet, candela eſſet accendendá. Hinc ergo miſeros illos poſt multorum annorum triſtem detentionem, tanquam è ſqualido carcere protraxi in lucem, & propriâ manu excuſſos ac deterſos, non tantùm à cæteris varijs compactis & incompactis libris ac ſcriptis, quæ in eodem conclavi fuerant, ſeparavi, verùm etiam reſpectu primi argumenti cujuſq; Codicis in *ſex*, ut olim factum fuerat, diviſi *claſſes*, nempe *Theologicam, Juridicam, Medicam, Hiſtoricam, Philoſophicam* & *Philologicam*. Quo facto, pervolvi ſingulos à capite ad calcem, & adhibitis antiquis manuſcriptorum Codicum Catalogis, quos *ante quinquaginta annos* (nempe circa annum 1608) V. CL. *Sebaſtianus Tengnagelius* compoſuerat, indagavi incredibili labore priſcos illos & vetuſtate vix ampliùs apparentes *numeros*, quibus ab eo ſecundùm continuam cujuſque claſſis ſeriem notati fuerant: eoſq; inventos renovavi tàm intrinſecùs in principio cujuſq; Codicis, quàm extrinſecùs in compactura; ſimul etiam Codicibus repertis inventionis notam in Catalogo appoſui, quò meliùs ſcirem, quinam adhuc quærendi ſupereſſent. Quo ſuperato labore, curavi totum conclave, in quo anteà jacuerant, bonâ fide mundari, &, mutatâ feneſtra veteri, remotiſq;

obſta-

obſtaculis, quæ lucis ingreſſum impediverant, quàm potui lucidiſſimum id credidi, & inventos Codices ſecundùm priſtinum ordinem in illud repoſui. Pari diligentiâ curavi deinceps reliqua *ſeptem conclavia* expurgari, uſus ad hoc operâ *octo* hominum, quorum quatuor ſingula volumina moverunt loco, & extra Bibliothecam probè excuſſerunt, cæteri autē quatuor excuſſa & deterſa in Bibliothecam reportarunt, & manuſcripta ab impreſſis, compacta ab incompactis ſeparantes, multaque *incompactorum voluminum* millia, quæ uſque ad illud tempus confuſiſſimè fœdiſſimeq; jacuerant in terrâ, & pedibus calcata fuerant, in faſciculos colligantes, ultimum propriâ manu omnia accuratè recenſendi & ordinandi laborem mihi reliquerunt. Quicquid igitur in tota Bibliotheeâ manuſcriptum, tàm incompactum, quàm compactum, inventum fuit, id omne partim in primum illud *Græcorum Codicum manuſcriptorum conclave*, cujus paulo antè mentio facta eſt, partim verò in aliud *conclave*, *Latinis*
LXII. præcipuè *Codicibus manuſcriptis aſſignatum*, repoſui. Purgatâ hoc modo Bibliothecâ, & per manuſcriptorum Codicum à libris impreſſis ſegregationem ad meliorem ordinem & uſum qualitercunq; præparatâ, tranſij porrò ad *libros impreſſos*, quibus pervolvendis & ritè ordinandis licet etiamnunc immorer, & fortè ultra annum adhuc immoraturus ſim, haud obſcurè tamen jam apparet, quænam totius Bibliothecæ conſtitutio demùm futura ſit, cùm propoſitum laborem integrè abſolvero. Verumenimverò quandoquidem ſecundùm Imperatorem noſtrum Juſtinianum § *ult. Inſtit. de Grad. cognat.* veritas magis oculatâ fide, quam per aures animis hominum infigitur, ecce Tibi, chariſſimè Sluſi, *Sciagraphiam* ſeu primam ac generaliſſimam delineationem præſentis ſtatus, quem Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea primo Præfecturæ meæ anno adepta eſt. Exactior verò & accuratior ejuſdem deſcriptio exhibebitur in univerſali omnium illius tàm manuſcriptorum, quàm impreſſorum librorum *Catalogo*, quem, ſi DEVS vitam ac vires mihi conceſſerit, intra paucos, ut ſpero, annos editurus ſum; & quidem *tripliciter*, nempe *primò* ſecundùm continuam numerorum ſeriem, quibus omnes libri, quo faciliùs inveniantur, in tergo notati ſunt; *ſecundò* juxta varietatem materiarum Claſſis ſextuplicis, Theologicæ, videlicet, Juridicæ, Medicæ, Hiſtoricæ, Philoſophicæ & Philologicæ ordine Alphabetico; *tertiò* deniq; ſecundùm nomina Auctorum in Alphabeti formā redacta; & quidē dupliciter, nimirum tàm particulatim ſecundùm jam memoratas ſex primarias claſſes materiarum, quàm generatim & ſine ullo reſpectu ac diſtinctione promiſcuè.

* Dia

Tabu. hæc pertin ad Epiſto. hujus Segentum LII. inter pa. 72 & 7

A

qu

MANU Æ,

duobus conſ ıs,

ex,

em

PRIMU m;

continet

1 *Codices manuſ* m

Hebraicos,

Arabicos, &

Turcicos,

Perſicos,

Syriacos, &

Armeniacos, m

Æthiopicos, di-

Sinenſes, &c. .

Codices manuſ

Græcos,

qui divisi ſu

ſex claſſe

nempe

Theologica

Juridicam,

Medicam,

Hiſtoricam

Philoſophic

Philologica

Catalogos Bibl

Cæſareæ vari

ab A. 1500

noſtram æta

diverſis co

tos.

Res quaſdam r

& artificioſas,

natum Bibli

pertinentes.

**

BIB

nec non C

JOANN

WOLFC

RICHAR

SEBAS

pra

tà

in on

Or

SA

D

ſcuè. Interim nunc contentus ſis ſynopticâ hâc univerſæ Bibliothecæ in præcipuas partes ſuas diviſæ Tabulâ; cui inſuper adjunxi exemplum *Inſcriptionis*, quàm in S. Cæſ. Majeſtatis ſempiternum honorem & ad perpetuam felicis inſtaurationis Auguſtiſſimæ hujus Bibliothecæ memoriam compoſui, & ejuſdem affixi foribus. *.**

Cæterùm cùm, ut ſuprà expoſui, inſtaurationem Bibliothecæ Cæſareæ *d. 26 Maij hujus anni 1663* incredibili cum voluptate animi inchoaſſem, ſupervenit nō multo pòſt ingens gràviſſimi doloris occaſio, maximuſq; metus, ne adverſitas fortunæ utiliſſimum propoſitum meum in herbâ opprimeret. Circa *diem* enim *vigeſimum Junij* incidit S. Cæſ. Majeſtas in periculoſiſſimum *puſtularum*, ſeu, ut vulgò loquuntur, *variolarum* morbum, Auguſtiſſimæ Domui Auſtriacæ haud injuriâ inprimis formidabilem; quippe qui A. 1654 d. 9 Julij Glorioſiſſimum Regem Romanorum *Ferdinandum IV*, & A. 1662, die ultimo Decembris Sereniſſimum Archiducem Oenipontanum *Ferdinandum Carolum* in ſummo flore juventutis ſuſtulit. Ægrotabat itaq; tuńc cum Imperatore noſtro ipſa totius Chriſtiani Orbis Salus publica, & Sacrum Imperium Romanum meritò jam lugebat futuras calamitates ſuas, ſi *Capite* ac *Patre ſuo* præmaturè orbatum fuiſſet. Sed exaudivit benignitas Divini Numinis ardentiſſimas preces noſtras, & clementiſſimè conceſſit, ut quemadmodum olim Imp. *Auguſti* poſt letalem morbum recuperata valetudo ſolenniter in Theatro fuit publicata, ſic nobis quoque de reſtitutâ Sacratiſſimi Imperatoris noſtri LEOPOLDI ſanitate eodem liceret uti (1) cantico: LXIII.

LÆTARE INCOLUMIS,
ROMA,
SALVO PRINCIPE.

Redijt itaque mihi priſtina animi alacritas, &, quicquid doloris perceperam, partim amore erga clementiſſimum optimèque de me meritum Herum, partim verò formidine publicarum calamitatum, quæ, ſi S. Imperij Romani tunc vacaſſet ſuprema Gubernatio, Germaniæ ſine dubio imminebant, id omne multiplici gaudio abundantiſſimè fuit compenſatum. Vix enim integrè convaluerat *Cæſar*, cùm inter primos in publicum proceſſus, *d. 3. Auguſti* exiguo ſtipatus comitatu, *Bibliothecam Suam* humaniſſimè pariter ac cupidiſſimè inviſit, &, quouſque in eâ ordinandâ perveniſſem, *Suis Ipſe* oculis contemplatus eſt. Nimiùm profectò, hæc excreſceret epiſtola, ſi ſpeciatim hîc enarrare vellem, quid per integras illas duas horas, quibus tunc *Cæſar* à tertiâ pomeridianâ uſque ad quintam in Bibliothecâ commoratus eſt, actum fuerit: ſufficiat igitur, LXIV.

(1) *Extat apud Phædrū Imp. Auguſti Libertum lib. 5. fab. 7.*

K. ſi

ſi dixero, placuiſſe *Divinæ Ipſius Æquanimitati* qualeſcunque laborum meorum primitias, deſignatique ordinis inſtaurandæ totius Bibliothecæ rationem, & Anaſtaſin ſive novam quaſi vitam tot rariſſimorum Codicum manuſcriptorum, qui multos annos perpetuis tenebris ac pulvere ſepulti fuerant. Ut cætera igitur in præſens omittam, unum certè, quod mihi maximè memorabile videtur, ſilentio præterire nefas exiſtimo; nempe varijs quidem rebus ſpectatu dignis S. Cæſ. Majeſtatem tunc temporis delectatam fuiſſe, ſed nulli tamen longiorem atque accuratiorem impendiſſe contemplationem, quàm *Antonij Gallonij*, Presbyteri Congregationis S. Philippi Nerij, eruditiſſimo pijſſimoque Operi de *Inſtrumentis Martyrij & cruciatibus Sanctorum Martyrum*, Romæ A. 1591 in 4to edito. In quem librum cùm *Cæſar*, Hiſtoricæ Eccleſiaſticæ ſcriptores perluſtrando, fortè incidiſſet, hunc illi habuit honorem, ut qui anteà continuè ambulaſſet, tùm primùm aliquantùm reſederit, cumq; à capite ad calcem intentè pervolverit. Admirabar ego interim ſummam *Cæſaris* pietatem cum non minori Philomathiâ de palmâ contendentem, eodemq; tempore in memoriam mihi revocabam, quàm verè olim *Plinius Junior* in Panegyrico ad Imp. *Trajanum* ſcripſiſſet, ***nullum præſtabilius aut pulchrius Deorum munus eſſe, quàm caſtum, & ſanctum & Dijs ſimillimum Principem.*** Et ſic quidem ille tranſijt dies, quo primùm *Cæſar* poſt recuperationem priſtinæ valetudinis Auguſtiſſimam Bibliothecam ſuam inviſere dignatus eſt.

LXV. Varia deinceps ejus generis alia inſignia exempla non tralatitij affectus erga multarum linguarum cognitionem, omnigenam divinarum & humanarum rerum notitiam, & optimorum de quocunq; argumento Auctorum lectionem, creberrimè Cæſar edidit, ex quibus, *Chariſſime Sluſi,* non tuæ tantùm curioſitatis causâ, verùm etiam ad ſempiternam poſteritatis memoriam tria vel quatuor nunc recenſebo. *Die* nimirùm *decimo tertio Auguſti*, cùm ſtatim à meridie inter duodecimam & primam horam, quod tempus à prandio proximũ *Cæſar* plerumq; eruditæ recreationi tribuit, per ſatellitem Cubicularium in Palatium accerſitus eſſem, inveni Cæſarem occupatum in pervolvendo novo quodã libro, formæ grandioris, quàm vulgò appellant in magno folio. Ingreſſo & humillimâ attentione expectanti, cujus rei causâ vocatus eſſem, tradidit S. Cæſ. Majeſtas mihi jam memoratum librum, ſimul interrogans, *an eum jam vidiſſem.* Aperui itaq; & primo intuitu deprehendi, *Operis Fulvij Vrſini* & *Antonij Auguſtini de Familijs Romanis,* quæ ab Vrbe conditâ uſque ad tempora Divi Auguſti in antiquis numiſmatibus reperiuntur, ***novam*** eſſe ***editionem,*** hoc ipſo A. 1663 Lutetiæ Pariſiorum ador-

dornatâ operâ, & ſtudio V. CL. *Caroli Patini* Doctoris Medici Pariſienſis. Reſpondi ergo, me hanc quidem editionem anteà non vidiſſe, veterem verò, quæ Romæ impenſis hæredum Franciſci Tramezini, apud Joſephum de Angelis A. 1577 in lucem prodijſſet, in Auguſtiſſima Bibliothecâ Cæſareâ extare, & magno Additamento augeri poſſe, partim beneficio veterum numiſmatum *Cimeliarchij Cæſarei* & *Pinacothecæ Archiducalis*, partim verò duorum maximi pretij manuſcriptorum Voluminum Bibliothecæ Cæſareæ in fol., quæ mera *numiſmata Conſularia*, incredibili ſtudio & elegantiâ ex Archetypis depicta, continent, & à celeberrimo Antiquario Cæſareo *Jacobo de Strada*, Mantuano, Imp. *Ferdinando I* olim oblata fuerunt. Petij porrò demiſſiſſimè veniã adeundi Bibliothecam; quâ impetratâ, deprompſi inde *antiquam Fulvij Urſini Romanam editionem*, & ſine morâ ad S. Cæſ. Majeſtatem reverſus, quid in *novâ editione Pariſinâ*, vel addendo, vel demendo, vel immutando præſtitum eſſet, optimâ fide indicavi. Deſcendit deinde *Cæſar* in *Cimeliarchium*, & propriâ mihi tradidit manu *Indicem veterum Numiſmatum*, quæ ibidem adſervantur. Sunt autem *abſq; ijs, quæ* aureis, argenteis alijſq; pretioſiſſimis vaſis ornamenti loco *affixa ſunt*, in univerſum (15940) *quindecies mille nongenta & quadraginta:* nempe *Aurea* 596, *Argentea* 9997, *Ærea* 5347. Inter aurea ſunt rara inprimis & ſpectatu digna antiquiſſima *Græca Numiſmata* quadraginta tria, *Conſularia* duo, *Imp. Othonis* tria, *A. Vitellij* tria, *Nervæ* unũ, *L. Ælij* unũ, *P. Helvij Pertinacis* duo, *M. Didij Juliani* unum, *C. Peſcennij Nigri* unum, *Clodij Albini* duo, *Opelij Macrini* unum, *Diadumeniani* duo, *Gordiani primi* tria, *Gordiani tertij* unum, *Hoſtiliani* unum, *Voluſiani* unum, *Æmiliani* unum, *Gallieni* unum, *Carini* unum, *Licinij ſenioris* unum, *Valentis* quinque, *Gratiani* viginti ſex, *Valentiniani tertij* decem: *Marciani* tria, *Leonis Thracis* ſex, *Libij Severi* duo, *Zenonis Iſaurici* ſeptem, *Baſiliſci* unum, *Anaſtaſij Dicori* undecim, *Juſtini ſenioris* quatuor, *Tiberij Thracis* duo, *Mauricij* duo, *Heraclij* quinq;, *Heraclij & filij ejus Conſtantini* ſex, *Conſtantis & filij ejus Conſtantini Pogonati* unum, *Tiberij Abſimari* unum, *Leonis Iſaurici* unum, *Theodoberti Regis Francorum* unum, *Ludovici Pij* unum & *Gothica* quinquaginta quatuor. Inter *argentea* Cimeliarchij Cæſarei Numiſmata præ cæteris rara & ſpectatu digna ſunt, Numiſmata *Græca antiquiſſima* trecenta viginti novem, *Conſularia* bis mille viginti novem, *Imp, Caij Caligulæ* octo, *Claudij* ſex, *Titi* ſexaginta quinque, *L. Ælij* ſexaginta quinque, *Pertinacis* quinque *Didij Juliani* quatuor, *Peſcennij Nigri* duo, *Clodij Albini* novem, *Macrini* LXVI.

 tria,

tria, *Diadumeniani* duo, *Gordiani primi* quinque, *Cælij Balbini & Pupieni maximi* quinque, *Gordiani tertij* centum octoginta quinque, *Philippi Arabis Senioris* centum & duodecim, *Philippi Junioris* ſedecim, *Decij Junioris & Hoſtiliani* quatuor, *Voluſiani* triginta duo, *Aureliani, Taciti & Probi* ſeptem, *Cari Carini, Numeriani & Sabini* ſex, *Diocletiani & Carauſij* quatuor, *Juliani Apoſtatæ* quatuor, *Valentiniani & Valentis* quatuor, *Gratiani & Valentiniani Junioris* ſex, *Arcadij & Eudoxiæ* quatuor, *Honorij* unum, *Magni Maximi & Victoris* tria, *Valentiniani tertij & Marciani* tria, *Leonis Thracis, Libij Severi & Julij Nepotis* tria, *Baſiliſci* unum, *Anaſtaſij* quatuor, *Juſtini ſenioris* duo, *Mauricij* unum, *Phocæ* tria, *Heraclij & Conſtantini* quatuor, *Conſtantis & Conſtantini Pogonati* quatuor, *Tiberij Abſimari* unum, *Philippici* unum, *Caroli M., Ludovici Pij* & ſubſequentium aliquot Imperatorum quinquaginta quatuor, *Gothica majora & minora* mille nongenta nonaginta duo. Inter *ærea* Cimeliarchij Cæſarei Numiſmata maximè rara & ſpectatu digna ſunt, Numiſmata *Græca antiquiſſima* trecenta ſeptem, *Conſularia* quadraginta tria, *Imp. Vitellij* ſex, *L. Ælij* ſeptem, *Pertinacis* ſex, *Didij Juliani* duo, *Peſcennij Nigri* unum, *Clodij Albini* ſex, *Septimij Getæ* quinq;, *Macrini* tria, *Diadumeniani* duo, *Heliogabali* quatuor, *Gordiani primi* duo, *Cælij Balbini* quatuor, *Pupieni Maximi* quatuor, *Gordiani tertij* quadraginta octo, *Decij junioris* duo, *Valentis Hoſtiliani* quatuor, *Voluſiani* ſex, *Triginta tyrannorum* ſexaginta quinq;, *Annij Floriani* tria, *Numeriani* undecim, *Maximini & Aurelij Severi* viginti duo, *Licinij ſenioris & junioris* quadraginta tria, *Conſtantis & Delmatij* quadraginta, *Valentis* viginti quinq;, *Gratiani* viginti quatuor, *Anaſtaſij Dicori* ſex, *Iuſtini primi* novem, *Tiberij Thracis & Mauricij* octo, *Heraclij* quinq;, *Conſtantini Pogonati* ſex, *Leonis Iſaurici* duo, & deniq; *Imp. Othonis*, qui poſt *Galbam* imperavit duo, quorum unum *Cæſar* propter celeberrimam de eo controverſiam præ cæteris contemplandum mihi exhibuit, ut meis ipſe judicarem oculis, an ulla fraudis ſuſpicio ſubeſſet. Verùm hâc de re, ut & de cæteris *Cimeliarchij Cæſarei* Numiſmatibus tàm *liberis*, quàm *affixis*, nec non de ingenti eorundem copiâ, quam Sereniſſimus beatiſſimæ memoriæ Archidux *Leopoldus Guilielmus*, maximus olim peritiſſimusq; eruditæ antiquitatis æſtimator, *Sacratiſſimo Imperatori Noſtro* reliquit, commodiori tempore ſpeciatim & ex profeſſo agam, cùm primùm inſtauratio Bibliothecæ Cæſareæ

LXVII. abſoluta fuerit. Cæterùm quandoquidem ſuprà mentionem feci *duorum manuſcriptorum Voluminum Iacobi Stradæ de antiquis numi-*

ſma-



NAPOLI



NAPOLI







NAPOLI



ſmatibus Conſularibus, ſpeciminis loco unum hîc repræſento numiſma, cujus intuitu perſpiciatur, quanta reliquorum omnium magnitudo ſit & elegantia. *

Pertinet autem illud ad *C. Petilium* ſive *Petillium;* nempe vel ad illum cognomine *Balbum*, qui Conſul fuit cum *M. Fabio Ambuſto* A. V. C. ſecundum Varronem 396, & de Gallis atq; Tiburtinis triumphavit; vel ad illum, qui A. V. C. 398 Tribunus plebis fuit, & primus legem tulit *de ambitu;* vel ad illum cognomine *Libonem*, qui Conſul fuit cum *M. Valerio Corvino* ſecundùm Conſule A.V.C. 410; vel ad illum, qui *Dictator* fuit rei gerendæ aut clavi figendi causâ A.V.C. 443, & Magiſtrum Equitum habuit *M. Foslium;* vel deniq; ad illum patre Conſulari natum, cui A.V.C. 451, P. Sempronio Sopho & P. Sulpitio Saverrione Coſſ. in petitione Ædilitatis curulis *Cn. Flavius*, infimæ conditionis homo, à factione plebeja prælatus eſt, ut refert *Plinius Hiſt. Naturalis lib. 33. cap. 1.* Ad unum certè ex hiſce *Petilijs* ſive *Petillijs* numiſma illud pertinet, eoq́; nomine rarum eſt, quoniam nec apud Fulvium Vrſinum, nec apud Abrahamum Gorlæum, nec apud quenquam alium ejus generis Auctorem, quod ego ſciam, reperitur. Vel ex unico igitur hoc numiſmate ſatis, ut opinor, elucet, quàm accurata, nitida & magnifica ſint jam memorata duo de Conſularibus Numiſmatibus Volumina, quæ in Auguſtiſſimâ Bibliothecâ Cæſareâ adſervantur. Extant autem præterea ibidem alij *octo* ejuſdem generis ab eodem *Iacobo de Stradâ* adornati *Tomi MSti*, quorum *tres priores* Numiſmata Imperatorum Romanorum Latina à C. Julio Cæſare uſq; ad Imp. M. Aurelium Claudium, qui poſt Gallienum & Valerianum Juniorem imperavit, *tres* verò *ſequentes* eorundem Imperatorum Numiſmata Græca, *duo* demum *ultimi* reliquorum Imperatorum, aliaq́; partim Græca, partim Latina, partim barbara antiqua numiſmata miſcellanea continent. Quo quidem pretioſiſſimo antiquitatis Theſauro quantum Hiſtoria veterum Numiſmatum illuſtri atq; augeri poſſit, aliàs commodiore tempore à me indicabitur.

Nunc verò redeundum eſt ad *Cæſarem*. Fecerat Ipse, ut ſuprà nar- LXVIII
ravi *die quinto Aprilis* mentionem ethnici cujuſdam *Sarcophagi*, Vindobonæ ſuperiori *anno 1662* ſub terrâ inventi, & reliquiarum antiquitatis, partim in eo, partim juxta eundem repertarum, figuras æri inciſas, clementiſſimè mihi donaverat. Ut igitur ipſa illa incogniti iſtius monumenti veteris *reſidua fragmenta* coram intuerer, juſſit Cæsar, ut *d. 30 Auguſti* circa horam quintam pomeridianam ad Se venirem. Quo non tantùm humillimâ obedientiâ,

verùm etiam maximâ cupiditate à me facto, tranſijt S. Cæſ. Majeſtas ex Sacro Cubiculo ſuo per occultas ambulacrorum ambages in *Pinacothecam veteris Palatij Archiducalis*, à Sereniſſimo beatiſſimæ memoriæ Archiduce *Leopoldo Guilielmo* ſelectiſſimis præſtantiſſimorum artificum tabulis pictis, & exquiſitâ variarum antiquitatum ſupellectile adeò copioſè inſtructam, adeòq; eleganter & concinnè adornatam, ut etiamnunc tanquam in ſpeculo ibi appareat, quanta Glorioſiſſimi illius Principis *Philocalia & ſolertia ingenij* fuerit. Veſtibulum *Pinacothecæ*, per quod intravimus, circumundiq; repletum erat diverſorum inſignium Pictorum archetypis delineationibus *monochromatis*, quæ licet rudimenta viderentur, ſine admiratione tamen non poſſent conſiderari. Hinc pervenimus in conclave vario monumentorum veterum genere refertum, inter quæ conſpicuus inprimis & pretioſiſſimus eſt Theſaurus ſepulchralis *Childerici I, Francorum Regis*, (1) Tornaci Nerviorum A. 1653 d. 27 Maij fortuitò effoſſus; de quo plura addere superſedeo, quoniam is à Clariſſimo Doctiſſimoq; Viro *Ioanne Iacobo Chifletio* peculiari opere in 4to, quod *Anaſtaſis Childerici* inſcribitur, & Antverpiæ typ. Plantin. A. 1655 in lucem prodijt, adeò accuratè & eruditè deſcriptus eſt, ut actum agat, ſi quis idem argumentum tractare aggrediatur. Eodem conclavi præter magnam *lampadum, paterarum, urceorum, urnarum, annulorum, gemmarum, ſignorum*, aliarumq; ejus generis veterum reliquiarum gentilium copiam, continentur quoq; *multa millia antiquorum numiſmatum*, quæ maximo ſumptu collecta, & Ipſius Sereniſſimi Principis incredibili diligentiâ & ſtudio per multos annos reſpectu temporis aliarumq; circumſtantiarum ſecundum certas claſſes optimè ordinata, olim quidem, tanquam compendium aliquod Hiſtoriarum conſuli potuerunt, at poſt mortem optimi Principis obſignationis causâ prorsùs perturbatè & confusè in unam arcam conjecta ſunt cum maximo rei literariæ diſpendio; quod Ipſa S. Cæſ. Majeſtas, poſteaquam id reſcivit, ſummoperè & ex animo doluit.

LXIX. In hoc itaq; conclavi antiquitatibus minuſculis præcipuè dicato, adſervantur nunc quoque reſidua fragmenta veteris monumenti Vindobonenſis, cujus reperti hiſtoriam paucis hîc ſubjungere lubet, partim quidem, uti eam *ex ore Ipſius S. Cæſ. Majeſtatis* humillimè percepi, partim verò, ut eandem mihi narravit ſingularis amicus meus Dn. *Ioannes Antonius von der Baren*, *Pinacothecæ* olim *Archiducalis*, nunc verò *Cæſareæ Præfectus*, qui Beatiſſimi Archiducis *Leopoldi Guilielmi* juſſu intra paucos ab effoſſione dies in totam rei geſtæ veritatem

(1) Tournay *vel* Dornick *in Flādriā.*

tem ſtudioſè inquiſivit. Ea autem ita ſe habet. Juxta *portam Vrbis Vindobonenſis meridionalem*, quæ antiquo Palatio Cæſareo occidentem verſus proximè adhæret, & vernaculo quidem ſermone das Burgthor appellatur, latinè verò *Palatina* ſive *Auguſtalis* vocanda eſt, pars olim fuit veterum Vrbis mœnium, quæ *anticam aream Palatinam* ſive *Auguſtalem*, vulgò der Burgplatz dictam, meridiem verſus clauſit, donec Sacratiſſimus Imperator ac DN. N. LEOPOLDUS decrevit, ut dirutâ illâ veteris muri parte, novum extrueretur Ædificium, quod antiquo adjunctum Palatio Cæſareo, non tantùm utilitati inſerviret *Domûs* Auguſtæ, verùm etiã jam memoratæ *areæ Palatinæ* ſplendorem augeret ac magnificentiam. Cùm igitur *A. 1662, d. 28. Ianuarij*, erutis veterum murorum fundamentis, foſſores altiùs in terram penetraſſent, offenderunt ſub ipsâ antiquorum mœnium baſi *arcam lapideam* ruditer elaboratam, & operculò tectam quadrangulari & oblongo ac ſupernè faſtigiato, cæteraq; integram, præterquam quòd defectu unius ex quatuor operculi angulis, qui tamen non potuit inveniri, aliquantulùm aperta eſſet. Intrinſecùs plena fuit terræ, ordinariæ quidem, ſed duræ & compactæ, & tanquam artificio atque induſtriâ complanatæ, ſub quâ inventa fuerunt *oſſa humani alicujus corporis*, non tamen naturali ordine, ſed promiſcuè collocata. Præter hæc oſſa repertum fuit in eâdem ſepulchrali arca *parvum involucrum rotundum & oblongum ex puro auro*, operculo itidem aureo ab utraq; parte clauſum, intra quod aliud fuit involucrum *ex ære*, & intra æreum aliud ex *argento*; & intra argenteum deniq́ue tenuiſſima *lamina aurea*, ſtrictiſſimè convoluta, & inſcriptionem continens tantâ ſubtilitate exaratam, ut vix ægrè beneficio accuratiſſimi Microſcopij qualiacunque literarum incognitarum veſtigia appareant. Inventum inſuper fuit in eâdem arcâ *parvum numiſma aureum* unà cum *urnulâ vitreâ* cæruleâ, æneæ thecæ incluſâ, & *cultro ferreo*, rubigine non tantùm obducto, ſed ferè conſumpto. Ex lateribus arcæ internis tria fuerunt plana, quartum autem *repoſitorium* habuit tanquam reclinandi capitis causâ, ex ipſo lapide exciſum, cujus latitudo unius palmi, altitudo autem eſſet dimidij. Extra arcam in nuda jacuit terrâ *caput Satyricum* ex ære, ſupernè & infernè apertum, oculiſq; perforatis, unà cum duabus catenulis æreis: item *numiſma æreum* unà cum *parva Galeâ* æneâ, in duas partes diffractâ, *pateraq́; æneâ*, majori ex parte injuria temporis conſumptâ, & *urceolo æneo*, præ cæteris omnibus rebus elegantiſſimè fabrefacto. Ex his igitur Vindobonæ veteris recens inventis antiquitatibus *arca* quidem *lapidea* LXX.

ab

ab ijs, qui hujuſmodi vetera monumenta nec amarunt, nec æſtimarunt, tanquam nullius momenti res, per ludibrium fuit contuſa & disjecta; quæcunq; verò tàm intra, quàm extra arcam inventa fuerunt, & ſuprà enumerata ſunt, ea interceſſione hominum prudentiorum maximâ ex parte manſerunt integra, & in *Pinacothecâ* olim *Archiducali*, nunc autem *Cæſareâ*, etiam nunc adſervantur. Ex ijs rebus, quæ *intra arcam* inventæ fuerunt, ſuperſunt

I *Oſſa humani corporis ferè omnia*, quæ quidem ſingulari quâdam materiâ (1) *contra corruptionem* videntur eſſe illita, & adeò adhuc robuſta ſunt, ut caput etiamnunc dentes ſuos ſolidiſſimè infixos retineat.

II *Involucrum aureum*, cujus à reliquis interioribus involucris ſeparati, formam & magnitudinem repræſentat appoſitæ Tabulæ primæ figura quarta.

III *Involucri aurei operculum aureum*, quod exhibetur Tabulæ primæ figurâ quintâ.

IV *Involucri argentei & Involucri ærei fragmenta:* utrumq; enim fuit fractum, cùm evolvendæ laminæ aureæ causâ aperiretur. Quomodo autem hæc duo interiora Involucra exteriori quidem aureo Involucro incluſa, aureæ verò laminæ circumvoluta fuerint, id apparet ex Tabulæ primæ figurâ ſextâ; quippe ubi litera *a* denotat *primum Involucrum aureum, b Involucrum æreum, c Involucrum argenteum, d Laminam auream convolutam*.

V *Lamina aurea* à triplici Involucro ſeparata, evoluta & extenſa, cum Inſcriptione, quæ Tabulæ primæ figurâ ſeptimâ exhibetur. Quid autem de eâ ſentiam, paulò poſt indicabitur.

VI *Fragmenta Vrnulæ vitreæ cæruleæ*, quæ licet fracta fuerit, cùm ex thecâ ſuâ æneâ eximeretur, integra tamen repræſentatur Tabulæ primæ figurâ ſecundâ.

VII *Theca ænea*, cui incluſa fuit Vrnula vitrea cærulea. Qualis autem ea fuerit, priuſquàm Vrnulæ eximendæ causâ aperiretur, apparet ex Tabulæ primæ figurâ tertiâ.

VIII *Parvum Numiſma æreum*, cujus tàm antica, quàm poſtica pars exhibetur Tabulæ primæ figurâ decimâ & undecimâ. Quæ autem de hoc Numiſmate mea ſit ſententia, paulò poſt indicabitur.

IX *Culter ferreus rubiginoſus*, cujus magnitudinem, & formam repræſentat Tabulæ ſeptimæ figura quarta. Quæ autem de ejus

(1) *Huc pertinent* Petri Bellonij *libri duo, quorũ prioris titulꝰ*, De medicato funere, ſeu cadavere cõdito, & lugubri defunctorum ejulatione; *poſterioris autẽ*, De Medicamẽtis nonnullis ſervandi cadaveris vim obtinentibus. *Prodierunt in lucem Pariſijs A. 1553 ex officinâ Guiliel. Cavellat in 4to, unà cum tertio ejuſdẽ* Bellonij *libro* de admirabili Operum antiquorũ & rerum ſuſpiciendarum præſtãtiâ.



NAPOLI

Tab: II.



NAPOLI



Tab:III.



BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI

Tab: IV.



NAPOLI





Tab: VI.



NAPOLI

Tab: V.



BIBLIOTECA NAZIONALE NAPOLI



ejus antiquo nomine & uſu mea ſit opinio, non multò poſt aperiam.

De ijs verò rebus, quæ *extra arcam* inventæ fuerunt, ſuperſunt:

I *Parva galea ænea*, in duas partes diffracta, quæ tamen integra exhibetur Tabulæ primæ figurâ primâ. Quod autem de eâ meum ſit judicium, deinceps ſignificabitur.

II *Numiſma æreum mediocris magnitudinis*, cujus tàm antica, quàm poſtica pars repræſentatur Tabulæ primæ figurâ octavâ & nonâ. Quid autem de hujus numiſmatis ætate ſentiam, ſuo deinde loco indicabo.

III *Caput Satyricum æneum, ore ridenti, oculis perforatis, auribus caprinis, intrinſecùs concavum, ſupernè atq; infernè apertum, & foraminum quorundam adminiculo ſuſpenſioni aptatum*, cujus triplex imago, nempe tàm ab anticâ, quàm dextrâ & ſiniſtrâ parte, tribus totidem tabularum, ſecundæ nimirùm & tertiæ, & quartæ figuris exhibetur. Cui autem uſui caput hoc inſervierit, mox declarabitur.

IV *Catenulæ duæ æneæ*, ad jam memoratum caput Satyricum ſine controverſiâ pertinentes, quæ Tabulæ ſeptimæ figurâ primâ & ſecundâ exhibentur.

V *Vrceolus Pontificalis æneus*, elegantiſſimi artificij, ſed amiſſione pedis mutilus, cujus anſa ſupernè cygnum refert, infernè autem in caput humanum deſinit; ut apparet ex duplici ejus imagine, quæ Tabulâ quintâ & ſextâ repræſentatur.

VI *Patera ænea*, vetuſtate magnam partem conſumpta, quam Tabulæ ſeptimæ figura tertia exhibet.

VII *Particula tabuli vel involucri alicujus ænei*, quæ Tabulæ ſeptimæ figurâ quintâ expreſſa eſt.

Hactenùs reſidua veteris illius monumenti fragmenta recenſui, &, LXXI. quomodo adjunctis æri inciſis figuris reſpondeant, commonſtravi: ſupereſt itaque ut explicationis loco pauca hæc adijciam.

I *Vrnula vitrea cærulea*, quæ Tab. 1 fig. 1 exhibetur, ſine dubio ex illo eſt *urnularum lacbrymatoriarum* genere, quarum *Janus Jacobus Boiſſardus* Antiquitatum Romanar. lib. 2 in deſcriptione funeris ita meminit: *His peractis, corpus integrum ſepulcbro imponebatur, vel cineres in urnas congeſti cum oſſium reliquijs conditorio adplicabantur, plerumq; cum multis rebus pretioſioribus, quibus in vita homo fuerat delectatus: aliquando phialæ vitreæ, continentes amicorum lacbrymas ſepulcbro inſerebantur, vel vaſcula alia cum libaminibus lactis & vini:*

interdum etiam lampades oleo plenæ cum reliquijs imponebantur. Hæc Boiſſardus. Eodem quoque pertinet *Urnula lacbrymarum,* quæ inventa fuit in ſepulchro *M. Tullij Ciceronis,* in Zacyntho inſulâ A. 1544 repertâ. Fuit autem Ciceroniana illa inſtar lagenulæ *oblonga* & *ſine anſis,* ut apparet ex figurâ illius æri incisâ, quæ extat apud *Tobiam Fendium* in Sylloge monumentorum veterum Vratislaviæ A. 1574 in fol. edita, & apud *Joannem Cotovicum* in Itinerario Hieroſolymitano & Syriaco Antverpiæ A. 1619 in 4to edito.

LXXII II *Caput Satyricum æneum cum duabus catenulis* ſine dubio *lucerna* fuit *penſilis,* cujusmodi multæ extant in Opere eruditiſſimo V. CL. *Fortunij Liceti* de reconditis antiquorum Lucernis, Vtini typis Nicolai Schiratti A. 1652 in fol. edito. Faciunt autem præcipuè huc Lucernæ tres libri tertij capiti undecimo inſertæ, quarum prima refert *nudum Silenum ſupra uterculum ſedentem,* ſecunda *caput bovinum,* tertia verò *caput monſtroſum inſtar cocbleæ.* Item lucerna *Jovis Cuſtodis* penſilis, bibychnis cum tribus catenulis lib. 6 cap. 3; lucerna penſilis inſtar *caligatipedis* militaris cum tribus catenulis, eod. lib., cap. 28; lucerna formata inſtar *Sileni cum capite aſelli,* ibid. cap. 39; lucerna penſilis *Palladis Victricis,* ibid. cap. 47; lucerna *Sileni ſuper ſuper utre ſedentis*, ibid. cap. 53; lucerna inſtar *Herculis ſedentis,* ibid. cap. 54; lucerna penſilis, *laribus conſecrata*, ibid. cap. 57; lucerna penſilis ornata *Aquila* ſtante alis apertis, ibid. cap. 58; lucerna penſilis inſtar *capitis equini*, ibid. cap. 59; Lucerna inſtar *capitis bovini*, & alia penſilis *cum Lunâ & Stella,* ibid. cap. 61; lucerna publici alicujus *lupanaris,* quam duo obſcæni *Satyri* amplectuntur, ibid. cap. 68; lucernæ *penſiles* duæ, ibid. cap. 71. 72; lucerna ludicra *obſcæna*, figuram *hominis* referens, ibid. cap. 74; lucerna inſtar *humani capitis* cum barbâ monſtroſè foliatâ, ibid. cap. 75; lucerna penſilis cum imagine *Veneris jacentis*, ibid. cap. 80; lucerna *caput Æthiopis* referens, ibid. cap. 84; lucerna *caput Ægyptij Sacerdotis* referens, ibid. cap. 87 & 88; lucerna penſilis *Laribus conſecrata,* ibid. cap. 91; lucerna marmorea *vultum Satyri* referens, ibid. cap. 104; lucerna ænea *integrum virum penulatum,* ſummo capitis vertice aperto, referens, ibid. eod. cap.; ac denique lucerna ænea, varijs *Satyrorum* vultibus hinc inde exornata, & *Satyrum integrum* in faſtigio ſuſti-

nens,

nens, ibid. cap. 111. Perſuaſiſſimum itaq; habeo, *Caput Satyricum*, juxta arcam ſepulchralem Vindobonæ repertum, licet nunc infimâ parte mutilum & apertum ſit, antiquitùs tamen peculiarem ſuam habuiſſe baſin, & *lucernam* fuiſſe *bilychnem*, quæ non tantùm *catenularum* adminiculo ſuſpendi, verùm etiam per ſe ſtare poſſet. *Foramen* rotundum & ſatis amplum, quod in ſummo *vertice* eſt, inſervijt in fundendo oleo; *oculi* autem duo *perforati* inſervierunt inſerendis duobus *ellychnijs*; unde & *bilychnem* lucernam hanc appellavi.

III Eâdem ratione minimè dubito, quin *parva* illa *Galea*, quam Tabulæ primæ figura prima exhibet, peculiarem ſuam habuerit baſin, & *lucerna* fuerit *bilychnis*, ſed quæ ſtaret tantùm, non verò etiam eſſet penſilis. Oleo enim infundendo foramen *coni*, *ellychnijs* autem duobus inſerendis duo, quæ *oculis* reſpondent, foramina inſervijſſe exiſtimo. LXXIII.

IV *Culter ferreus*, qui intra arcam repertus fuit, & Tabulæ ſeptimæ figura quartâ repræſentatur, ſine dubio eſt *Seceſpita*; LXXIV. quod apud Romanos in ſacrificijs uſitatum inſtrumentum à *ſecando* ita dictum, *Sextus Pompejus Feſtus* in Opere de Verborum ſignificationibus *cultrum* ait fuiſſe *ferreum oblongum, manubrio rotundo & ſolido*; cui deſcriptioni & Vindobonenſis hæc reſpondet antiquâ ſeceſpita, & omnes *ſeceſpitæ* figuræ, tàm à *Jano Jacobo Boiſſardo* in præſtantiſſimo Antiquitatum Romanarum Syntagmate, & *Guilielmo du Choul* in Opere de religione Veterum Romanorum Gallicâ linguâ conſcripto, quàm ab alijs antiquarijs editæ, optimè congruunt; ut inprimis ex figurâ hâc *ſeceſpitæ*, à *Boiſſardo* ex antiquo marmore deſumptæ, lucucenter videre eſt.



Veriſimile autem eſt, fuiſſe *ſeceſpitam* hanc defuncti oſſibus in arca ſepulchrali adjunctam tanquam *Symbolum Sacerdotij*; uti in antiquo numiſmate *P. Cornelij Lentuli Spintheris*, quod extat apud Fulvium Vrſinum inter numiſmata *Gentis Corneliæ*. Aliud quoque ejuſdem ferè generis numiſma, *ſeceſpitâ* inſignitum, quod ad P. *Papirium Carbonem* pertinet, & apud Fulvium Vrſinum inter *Papiriæ Gentis* numiſmata nõ reperitur, extat in *Iacobi Stradæ* manuſcripto *Numiſmatum Conſularium* Syntagmate, quod in *Auguſtiſſimâ Bibliothecâ Cæſarea* adſervatur. Ipſa jam memorati numiſmatis figura ſecundum *Iacobi Stradæ* delineationem hæc eſt: ∗

LXXV. V *Urceolus*, cujus duplex imago Tabula quintâ & ſextâ exhibetur, & *Patera*, quæ Tabulæ ſeptimæ figurâ tertiâ repræſentatur, ſine dubio *vaſa* ſunt *Pontificalia*, quorum uſus apud antiquos Romanos fuit in ſacrificijs, & quorum, cùm alibi, tùm inprimis, apud *Ianum Iacobum Boiſſardum* in veterum monumentorum Romanorum imaginibus æri inciſis frequentiſſima occurrit delineatio.

LXXVI. VI *Æreum numiſma majus*, quod extra arcam ſepulchralem inventum fuit, & Tabulæ primæ figurâ octavâ & nonâ exhibetur, ſine dubio pertinet ad *Imp. Antoninũ Caracallam*, qui unà cum fratre *P. Septimio Getâ* poſt mortẽ *Imp. L. Septimij Severi* imperare cœpit A. C. 211. Præterquam enim quòd nominis *Antonini* haud obſcura ſuperſunt veſtigia, ſatis hoc apparet ex collatione aliorum veterum numiſmatum, in quibus itidem *Antonini Caracallæ caput, diademate radiato ornatum*, cernitur; nempe apud *Octavium de Strada* in Opere de Vitis Imperatorum Romanorum, Franrcof. ad Mœn. A. 1615 in fol. edito, & apud *Lævinum Hulſium* in Serie Numiſmatum Imperatorum Romanorum, Francof. A. 1603 in 8tvo editâ.



Ut

Ut igitur tàm ex nomine *Antonini*, quàm *vultu* rectè colligitur, numiſma illud, quod juxta antiquam illam arcam lapideam fuit repertum, ad *Caracallam* pertinere, ſic quoq; id confirmatur *poſticâ* ejuſdem numiſmatis parte; utpote quâ repræſentatur, *fœmina ſedens, quæ dextrâ tenet pateram, ſiniſtrâ autem cornucopiæ*, quemadmodum in alijs tribus ejuſdem *Imp. Antonini Caracallæ* numiſmatibus, quæ *Adolphus Occo* in Syntagmate numiſmatum Imperatorum Romanorum pag. 374 & 376 refert his inſignita eſſe inſcriptionibus:

PONTIF. TR. P. XII. COS. III.
PONTIF. TR. P. XIII. COS. III.
P. M. TR. P. XV. COS. III. P. P.

Notabile autem eſt, quod *Adolphus Occo* jam citato loco ait, *fœminam* illam cum *paterâ* & *cornucopiæ Salutis typum* eſſe; nempe, ut ego arbitror, non tàm *Privatæ*, quàm *Publicæ*, quippè quæ convenientiſſimè exprimitur per *ſeſſionem* ſive *quietem*, per *pateram* ſive *conſervationem religionis*, & per *cornucopiæ* ſive *rerum omnium abundantiam*. Eâdem figurâ alioqui etiam ſignificatur *Concordia*, ut videre eſt apud eundem *Occonem* pag. 496 in nummo *Imp. Aureliani*, ut & in Syntagmate veterum numiſmatum *Ducis Croyaci* Tab. 58 fig. 20, ubi *Concordia conjugalis* inter *Imp. Philippum Arabem* & *Otacillam* repræſentatur per *fœminam ſedentem cum duobus Copiæ cornibus & paterâ*, additâq; Inſcriptione: CONCORDIA AVGG.



Similiter Concordia paſſim cernitur in alijs numiſmatibus, quorum Inſcriptiones: CONCORDIA MILITVM, CONCORDIA EXERCITVS, CONCORDIA FELIX, CONCORDIA ÆTERNA. Rationem ejus rei reddit doctiſſimus Tarraconenſis Archiepiſcopus *Antonius Auguſtinus* Dialogo ſecundo de antiquitatibus in Nummis veterum, ubi de *Concordiæ* typo agens, ſic ſcribit: *In quibuſdam numiſmatibus matrona ſedens viſitur cum paterâ aut ſcypho in dextrâ manu, ſiniſtrâ verò cornucopiæ. Patera rem eſſe ſacram denotat, cui ſacrorum honos deberetur.*

Hinc etiam Romæ templum Concordiæ fuit. Cornucopiæ autem ubertatem, è Pace atq; Concordiâ naſci ſolitam, demonſtrat. Hæc Antonius Auguſtinus. Cæterùm haud magnoperè mirandum eſt, *Imp. Antonini Caracallæ* numiſma hoc *Vindobonæ* repertum fuiſſe, quippe cùm ex *Herodiani*, qui eodem tempore vixit, Hiſtoriarum libro quarto conſtet, ipſum in profectione ad Orientem per *Pannoniam Superiorem* feciſſe iter; & in *citeriori Danubÿ ripâ* aliquamdiu venando & aurigando ſe oblectaſſe. Ipſa *Herodiani* verba hæc ſunt: Ἀπάρας δὲ τῆς Ἰταλίας, ἐπί τε ταῖς ὄχθαις τῷ Ἴστρου γενόμενος, διῴκει δὴ τὰ ἀρκτῷα τῆς ἀρχῆς μέρη, γυμνάσια δὲ σώματος ποιούμενος ἡνιοχείας καὶ θηρίων παντοδαπῶν συσταδὸν ἀναιρέσεις, δικάζων μὲν σπανίως, πλὴν νοῆσαι, τὸ κρινόμενον εὐθὺς ἦν, εὐστόχως τε πρὸς τὰ λεχθέντα ἀποκρίνασθαι. ᾠκειώσατο δὲ καὶ πάντας τοὺς ἐπέκεινα Γερμανοὺς, ἔς τε φιλίαν ὑπηγάγετο, ὡς καὶ συμμάχους παρ' αὐτῶν λαβεῖν, καὶ τοῦ σώματος ἑαυτοῦ φρουροὺς ποιήσασθαι, γενναίους τε καὶ ὡραίους ἐπιλεξάμενος. Πολλάκις δὲ καὶ τὴν Ῥωμαϊκὴν ἀποθέμενος χλαμύδα, ἠμφιέννυτο τὸ Γερμανῶν. περιβλήματα εἴτε χλαμύσιν, αἷς εἰώθασιν ἀργύρῳ πεποικιλμέναις, ἑωρᾶτο. κόμας τε τῇ κεφαλῇ ἐπετίθετο ξανθὰς, καὶ εἰς κουρὰν τῆς Γερμανῶν ἠσκημένας. τούτοις δὴ χαίροντες οἱ Βάρβαροι, ὑπερηγάπων αὐτόν. Hoc eſt, Angelo Politiano Interprete: *Igitur Italiâ decedens, ad ripas Danubÿ pervenit, ad partes Imperÿ Romani ſeptentrioni ſubjectas. Ibi aut corpus exercebat aurigando, cædendisq; cominùs omne genus belluis, aut Ius dicebat, (rariùs id tamen,) ſtatimq; ſententiam ferens ac reſpondens, pauculis duntaxat auditis. Cæterùm Germanos illic ſibi omnes adjunxit atq; in amicitiam conciliavit, ſic ut ex his ſocios bellorum, & cuſtodes corporis validiſſimum quemq; & pulcherrimum ſibi aſciverit. Sæpè etiam Romano cultu depoſito, veſtem Germanicam induebat, atq; in eorum ſagulis argento variegatis conſpiciebatur; etiam flavam capiti cæſariem imponens ad modum Germanicæ tonſuræ. Quibus læti barbari, mirificè eum diligebant.* Hucuſq; Herodianus. Quo quidem loco per τὰς ὄχθας τοῦ Ἴστρου ſive *ripam Danubÿ*, eum exiſtimo intelligendum eſſe tractum *Pannoniæ ſuperioris*, ubi illâ ætate *Vindobona* & *Carnuntum Decimæ* & *Decimæ quartæ Legionum* primariæ ſedes fuerunt. Ταῖς ὄχθαις igitur τοῦ Ἴστρου καὶ τοῖς ἀρκτῴοις τῆς ἀρχῆς μέρεσι, hoc eſt, ut ego interpretor, *citeriori Danubÿ ripæ, quæ Imperÿ Romani verſus ſeptentrionem fuit terminus*, opponuntur ibi οἱ ἐπέκεινα Γερμανοὶ, ſive *proximi Germani*, hoc eſt, *Auſtriæ Trans-*

Danu-

Danubianæ & Moraviæ incolæ, qui tùm temporis *Quadi* appellabantur. Eandem rem *Ælius Spartianus*, qui integris circiter centum annis Herodiano junior eſt, & ſub Imp. *Diocletiano* floruit, in vitâ Imp. Antonini Caracallæ breviter & curſim his verbis memorat: *Ad Orientem profectionem parans, omiſſo itinere in Daciâ reſedit. Circa Rhætiam non paucos Barbaros interemit, militesq́; ſuos quaſi Sullæ milites, & cohortatus eſt, & donavit. Et cùm Germanos ſubegiſſet, Germanicum ſe appellavit.* Hæc Spartianus. Sed corrigendus is eſt ex *Herodiano*, autore ſynchrono, & pro *in Daciâ*, ſcribendum eſt *in Pannoniâ*. Quàm negligens enim *Spartianus* in hac expeditione *Caracallæ* narrandâ, & quàm rudis *Geographiæ* fuerit, vel hinc ſatis apparet, quòd, poſteaquam ſcripſit *Caracallam in Daciâ reſediſſe*, deinde ſubjungit, *eundem circa Rhætiam non paucos Barbaros interemiſſe, & cùm Germanos ſubegiſſet, Germanicum ſe appellaſſe*. Præpoſtera quippe & abſurda eſt tota hæc locorum recenſio, & tàm ex *Herodiani* narratione ſynchronâ, quàm ex naturali regionum connexione rectè colligitur, Imp. *Antoninum Caracallam* ex Italiâ Orientem versùs cum exercitu profecturum, in confinio *Rhætiæ* per *Noricas Alpes* tranſiſſe in *Pannoniam ſuperiorem*, &, cùm uſq; ad citeriorem *Danubij* ripam, quæ tunc Imperij Romani terminus ſeptentrionalis erat, perveniſſet, intermiſſo itinere, apud *Vindobonam* & *Carnuntum* aliquantulùm ſubſtitiſſe, partim quidem, ut venando & aurigando ſe oblectaret, partim verò, ut proximos trans Danubium habitantes *Germanos*, quos à tergo relicturus erat, ſecuritatis ſuæ causâ, quàm maximè ſibi conciliaret; eoq́; facto, ex *Pannoniâ* tranſiſſe in *Daciam*, ex *Daciâ* in *Mœſiam inferiorem*, ex *Mœſiâ inferiori* in *Thraciam*, ac deniq; ex *Thraciâ* in *Aſiam*. Inter monumenta igitur hujus expeditionis Imp. *Antonini Caracallæ*, & commorationis in *Pannoniâ ſuperiori*, numiſma etiam hoc, quod ſuperiori *anno 1662 Vindobonæ* repertum fuit, &, de quo in præſens agitur, referendum eſſe cenſeo. Nam tantùm abeſt, ut dubitari poſſit, quin Imp. *Antonini Caracallæ* in Pannoniam adventu, multa ejuſdem numiſmata, Romæ atq; alibi jam antè cuſa, in eam regionem illata fuerint, ut veriſimillimum videatur, illo ipſo commorationis in *Pannoniâ* tempore, nova etiam nonnulla numiſmata *ibidem* cuſa fuiſſe, quibus præſentiæ Imperatoris, & ludorum, quos ibi exercuit, memoria ad poſteros propagaretur. In hac certè ſententiâ eſt Vir doctiſſimus *Franciſcus Angelonus*, uti ipſe in Hiſtoriâ ſuâ Auguſtâ, cum antiquis numiſmatibus Romæ A. 1641 in folio editâ, his verbis indicat. *Parendo forſe ad Antonino, che le commeſſe ſceleratezze gli ren-*

rendeſſero odioſa la ſtanza di Roma, determinò di trasferirſi à viſitar le Provincie: ma egli doveva più toſto haver molto prima cambiato l' animo, che volgerſi dapoi à mutare il paeſe per ſottrarſi da rimordimenti, che provava dentro à ſe per l' atrocità de' ſuoi delitti; benche in fine comprendeſſe, & altri à forza il provaſſero, che li vitij erano radicati in lui, ne furono altramente de' luoghi e de' tempi, e che niuna coſa valeva in fine per temperarli. Giunto per tanto della parte del Danubio ſoggetta al Imperio, vi ſi eſercitava in caccie & nel guidar le carette, dimonſtrandolo una gran medaglia battuta per mio parere in quelle parti con teſta laureata e lettere: ANTONINVS PIVS AVG. *& una cifra d' argento commeſſa nel metallo, che forſe dee inferire il nome del artefice, che la fabricò, o della Citta, dove fu coniata, eſſendo quella compoſta delli* P. E. L. *Si vede nel altro il medeſimo Antonino ſopra di una quadriga, che tiene con la ſiniſtra la palma, & alza con la deſtra una ſferza in atto di percuotere i cavalli, ne vi è alcuna lettera.* Hæc Angelonus. Quæ quidem omnia approbo, præterquam quòd arbitratur, per litteras ſingulares *P. E. L.* intelligendum eſſe vel *nomen artificis,* à quo numiſma hoc fabrefactum, vel *nomen Civitatis,* ubi ſignatum fuerit. Ego enim minimè dubito, quin hæ literæ *P. E. L.* interpretandæ ſint PANNONICI EXERCITUS LEGIONES, ijſque verbis indicetur, à *Pannonici exercitus Legionibus* illud numiſma in honorem Imp. *Antonini Caracallæ* cuſum fuiſſe. Pertinet huc inprimis C. Cornelij Taciti locus Hiſtor. lib. 2. cap. 11, ubi *Pannonici exercitus* & *Legionum,* quibus is conſtitit, expreſſa ſit mentio. *Læta*, inquit, *interim Othoni printipia belli, motis ad imperium ejus è Dalmatiâ Pannoniâq; exercitibus. Fuere quatuor legiones, è quibus bina millia præmiſſa. Ipſæ modicis intervallis ſequebantur; ſeptima à Galbâ conſcripta: veteranæ, undecima, ac tertia decima, & præcipui famâ Quartadecumani, rebellione Britanniæ compreſsâ.* Item cap. 85: *Accelerata interim Veſpaſiani cœpta Illyrici exercitus ſtudio. Tranſgreſſa in partes tertia legio, exemplum cæteris Mœſiæ legionibus præbuit. Ita tres Mæſicæ legiones per epiſtolas alliciebant Pannonicum exercitum, aut abnuenti vim parabant.* Et paulo pòſt cap. 86: *At in Pannonia XIII Legio & VII Gilbiana, dolorem iramq; Bedriacenſis pugnæ retinentes, haud contanter Veſpaſiano acceſſere. Iuncti inde Mœſici & Pannonici exercitus, Dalmaticum militem traxere, quanquam conſularibus Legatis nihil turbantibus.*

LXXVII. VII. Quòd porrò ad *æreum numiſma minus* intra arcam ſepulchralem inventum, quod Tab. 1. fig. 10 & 11 exhibetur, at-

tinet,


tinet, congruentia profectò *anticæ partis* ejus cum anticâ parte numiſmatis majoris ſatis perſpicuè indicat, etiam hoc ad Imp. *Antoninum Caracallam* pertinere. Itaq; etiam huc trahenda ſunt, quæcunque in explicatione ſuperioris numiſmatis de vultu Caracallæ & commoratione ejuſdem in *Superiori Pannoniâ* retuli. *Poſticâ* parvi hujus numiſmatis parte continetur *figura militaris ſtans, quæ dextrâ tenet globum, ſiniſtrâ verò haſtam,* quemadmodum in alio quodam Imp. *Antonini Caracallæ* numiſmate, quod *Adolphus Occo* pag. 372 teſtatur ſe vidiſſe cum hâc Inſcriptione: RECTOR ORBIS; nec dubito, quin etiam in hoc Vindobonenſi numiſmate eadem fuerit inſcriptio. Si quis porrò quærat, quæ cauſa ſit, cur *unicum* hoc parvum numiſma æreum oſſibus defuncti in arca ſepulchrali adjunctum fuerit, duplici potiſſimùm nomine id factum fuiſſe reſpondeo; nempe primò, ut numiſma hoc character eſſet Chronologicus Imperij *Antonini Caracallæ*, ſub quo defunctus obijſſet; ſecundò autem, ut idem numiſma eſſet loco illius *nummuli*, quem veteres *ori mortuorum inſerebant,* ut *Charonti* pro *Stygiæ* paludis tranſmiſſione tanquam naulum perſolveretur. Vocabatur is à Græcis Δανάκη, *Danace*, ut præter Suidam in explicatione vocum Δανάκη & Ἀχερούσια, teſtatur quoque Magni Etymologici Græci Autor v. δανάκη, ubi expreſsè ait, quod mortuis eum dederint οἱ συγκηδεύοντες, ὡς Ἀχερουσιάς λίμνης ἐπίβαθρον Meminit illius Lucianus paſſim in Dialogis mortuorũ, præcipuè tamẽ in Satyrica diſſertatione *de Luctu;* item Ariſtophanes in *Ranis;* ut & L. Appulejus libro ſexto de aſino aureo in fabellâ Pſyches, ubi eâ de re agens exclamat: *Ergo & inter mortuos vivit avaritia* Veriſimile itaq; videtur, vulgarem illã de naulo Charonti perſolvendo fabulã à Græcis & Romanis etiã ad antiquos *Pãnonios* trãſmigraſſe.


VIII Venio nunc ad *laminam auream*, triplici incluſam involucro LXXVIII. & inſcriptione quadam inſignitam, quæ Tabulæ primæ figurâ ſeptimâ exhibetur, quemadmodum nunc ab involucris ſuis ſeparata & expanſa cernitur. Quod primùm igitur ad inſcriptionis *characteres* attinet, illi hîc ita repræſentantur, uti nõ multo poſt veteris illius monumenti effoſſionẽ delineati æriq; inciſi in lucẽ prodierunt. Ego verò utrũ tales ij ſint, nec ne, in medio relinquo; utpote qui exactiſſimâ, quam huic laminæ examinandæ impendi, diligentiâ, licet viſui ſatis per ſe adhuc bono, ſereniſſimæ tempeſtatis & ac-

curatiſſimi Microſcopij auxilium adjunxerim, nihil ferè in eâ videre potui præter obſcura quædam & confuſa incognitorum quorundam characterum, ſubtiliſſimo ſtylo exaratorum, veſtigia, de quibus tamen nihil certi pronuntiare auſim, cùm ad extremam inciſionis ſubtilitatem accedat inſuper maxima ipſius laminæ, ſtrictiſſimæ olim convolutæ, inæqualitas propter plurimas ſtrias & plicationis rugas, quæ characteribus laminæ inciſis permixtæ ſunt. De lectione igitur hujus *Inſcriptionis*, ut ingenuè verùm fatear, Pyrrhoniano more ἐπέχω, &, ut Terentianus ille, *Davus ſum, non Oedipus*. Quomodo autem Vir doctiſſimus R.P. *Athanaſius Kircherus* Inſcriptionem hanc legendam cenſuerit, apparet ex ipſius Epiſtolâ ad Sereniſſimum B.M. Archiducem *Leopoldum Guilielmum* olim miſsâ, cujus exemplum, ex autographo, quod Ipſa S. Cæſ. Majeſtas benigniſſimè mecum comunicavit, fideliſſimè deſumptum, hîc ſubjungo.

Sereniſſime Archidux.

SCripturam à Serenitate Veſtrâ mihi tranſmiſſam diligenter evolvi; & primò quidem alphabeto inde eruto, ſingula verba cum ſingulis, more mihi ſolito, ritè combinavi, & tandem idioma inveni, è varijs Aſiaticis dialectis conflatum; cujus & lectio, & ſenſus lectionis is eſt, qui ſequitur, ſalvo peritiorum judicio. Si quis verò meliorem attulerit interpretationem, ei haud invitum me ſubſcripturum polliceor.





Hoc Alphabetum partim Græcum eſt, partim Latinum, compluresq́ hic Romæ inſcriptiones inveniuntur, hiſce literis monumentis inſculptæ, uſitatumq́ fuit vulgò per Romanum Imperium ante & poſt Cæſarem uſq́ ad Gottorum adventum. *Hujus*

Hujus Alphabeti ope lego ſcripturam eo, qui ſequitur, modo, unà cum Interpretatione.

ILIADO *Hîc,* HCT *ſtat,* ideſt ἱςᾶ, LAZIADIS *Laziades,* IANTVRE *uxor,* DAMALMENEV *Damalmeneu,* ABIATANABA *Abiatanaba,* IMALKI *Regis,* ACRANV *ſupremi,* SVMARIAS *Sumariæ,* THOLB *Dominatoris,* KAVBASOM. *Caucaſi.*

Iliado *græcum corruptum eſt; purum,* ἱςᾶ. Laziades *nomen propriũ & patronymicum.* Janture *Colchica vox eſt, & uxorem ſignificat.* Damalmeneu *nomen proprium, uti & ſequens* Abiatanaba. Imalki *Turcico-Arabicum: hoc enim nomine vulgò græcè Rex dicitur.* Sumarias *Provinciæ Colchicæ nomen.* Acrani, *forſan Acrany, ſummum notat.* Kaubaſom *ſignificat Colchicâ linguâ Caucaſum, vel etiam Secretum.*

Unde puto hunc fuiſſe Principem ſeu Regulum quendam in regione aliquâ in Orientali plagâ maris Euxini juxta Trapezuntium, à quo Colchica ſeu Iberia unà cum Caucaſo non procul abeſt.

Sic judico Athanaſius Kircher.

De hâc igitur interpretatione quilibet ſuo arbitratu judicet Mihi equidem veriſimile videtur, fuiſſe hoc monumentum *ethnici cujuſdam Sacerdotis,* idq; per *Seceſpitam, Vrceolum* ac *Pateram* ſignificari, ut paſſim in vetuſtis numiſmatibus alijſq; antiquitatibus Romanis videre eſt. Obijſſe verò hunc ſub Imp. *Antonino Caracallâ,* ex duobus numiſmatibus, quæ unà reperta ſunt, conijcio. Minimè etiam dubito, quin defuncti corpus primò fuerit *crematum,* deinde autem reſidua oſſa in arcam illam lapideam repoſita, & ſuperinjecta *terrâ contecta* fuerint. Quod quidẽ *ex crematione & humatione mixtum ſepulturæ genus* apud alios etiã populos in uſu fuit, ut patet ex *Herulorum,* Germanicæ nationis, *Viſtulæ* quondam oſtia accolentis exemplo, de quorum antiquo ſepeliendi ritu *Procopius* Cæſareenſis Gotthicorum libro ſecundo hæc memorat: παυσαμένης δέ αὐτῆς τῆς φλογὸς, ξυλλέξαντες τὰ ὀςᾶ, τοπαραυτίκα τῆ γῆ ἔκρυπτον. h. e. *Ut primùm flamma ipſa reſederat, collecta protinus oſſa terrâ condebant.* Hæc Procopius. Idem quoq; de *Gallis* refert Pomponius Mela libro 3 de ſitu Orbis cap. 25 quem locũ non multo pòſt aliâ etiam de causâ integrè adſcribam. Perſuaſiſſimum porrò habeo, *linguam & literas Inſcriptionis laminæ auræ* inciſæ, haud alias eſſe, quàm quæ Imp. *Antonini Caracallæ* temporibus *Pannoniæ ſuperiori* fuerunt vernaculæ. Meminit antiquæ illius *Pannonicæ linguæ* C. Cornelius Tacitus libro de Germaniâ; ex quo ipſius loco Princeps Geographorum noſtri ſeculi Philippus Cluverius Germaniæ antiquæ lib. 1 cap. 5 pag. 43 colligit, *Pannonios,* utpote Veteris Illyrici inter

Iſtrum & Mare Adriaticum, Alpeſq; protenſi incolas, dialecto uſos fuiſſe linguæ *Celticæ*, quam per maximam Europæ partem, Hiſpaniā nempe & Galliam, & Germaniam, inſulaſq; Britannicas & Illyricū longè latèque diffuſam fuiſſe, integris aliquot prolixis capitibus demonſtrare annititur. Qua quidem de re ex profeſſo agam in *Prolegomenis Annalium Auſtriacorum*, nec tantùm *Cornelij Taciti* aliorumq; veterum Autorum loca de *antiquâ Pannonicâ linguâ* ibi excutiā, verùm etiam, quæ à jam memorato *Philippo Cluverio*, ut & à *Wolfgango Lazio* libro quarto de Migrationibus Gentium, & à *Conrado Geſnero* in Mithridate, ſeu libro de differentijs linguarū, alijſq; recentioribus Autoribus de eodē argumento ſcripta ſunt, accuratè examinabo. Interim nunc in anteceſſum moneo, ad materiā hanc ſolidè tractandā plurimùm prodeſſe *Adami Boborizi Arcticas horulas ſucciſivas* de Latino-Carniolanâ Literaturâ, ad Latinæ Linguæ analogiā accommodatâ, Wittebergæ A. 1584 in 8to editas; quippe quo libello, tanquam Slavonicæ Linguę Grammaticâ, non tantùm Moſchoviticæ, Rutenicæ, Polonicæ, Bohemicæ & Luſaticæ linguæ cum Dalmaticâ & Croaticā cognatio indicatur, ſed & ipſa Orthographia, tàm Cyrillica ſive Moſchovitica, quàm Glagolitica ſive Croatica, ſynopticis aliquot tabellis comprehenſa, proponitur. Ut igitur appareat, quanta inter antiquæ *Inſcriptionis* Vindobonēſis Characteres & *Cyrillicam* Orthographiam, quâ præter Janizaros, Conſtantinopolitanæ aulæ prætorianos milites, Boſnenſes quoque & Ruteni, & Moſchovitæ utuntur, ſimilitudo ſit, ſubjungo hîc Epitaphiū *Catharinæ Reginæ Boſnenſis*, Thomæ Regis Boſniæ ultimi viduæ, quod extat Romæ in *Ara Cœli*, & partim ſecundū jā memorati *Adami Boborizi*, partim autē ſecundū (1) *Ioannis Baptiſtæ Palatini*, Civis Romani, deſcriptionē ac interpretationē latinā ita ſe habet.

(1) *In libro Venetijs A.* 1588 *in 4to edito, cujus titulus:* Compēdio del Grā Volume del arte di ſcrivere tutte le ſorti di lettere.

КАТАРНNН КРАЛНЧН БОСАNЬСКОН
СТНПАNА, ХЕРЧЕГА ШСКЕТОГА САБЕ,
ШПОРОДА ЕЛНNЕ НКОЋЕ ЧАРА СТНПАNА
РОЕNН ТОМАША КРАЛА БОСАNЬСКОГА ЖЕNН
КОЛ, ЖНКН ГОДННН. N. Н. Д.
НПРНМНNО ОРНМН NАЛНТА ГNА: V. О. О. Н.
ЛНТО. NА. К. НЕ. ДNН. ОКТОБРА. СПОМНNАКЬ.
NЕ ПНБZОМЬ. ПОСТАКЛЕNЬ.

Hoc

Hoc eſt:

KATARÍNI KRALIZI BOSANSKOI
STIPANA CHERZEGA SSKETOGA SABE,
SPORODA ELINE IKVZHE ZARA STIPANA
ROENI TOMASHA KRALA BOSANSKOGA SHENI
KOL. SHIKI GODINI. N. I. D.
IPRIMINV VPIMI NALITA GNA. V. V. O. I.
LITO. NA. K. I. E. DNI. OKTOBRA SPOMINAKG
NE PIBZOM POSTAKLEN

Interpretatio hujus Epitaphij Latina:

CATHARINÆ REGINÆ BOSNENSI,
STEPHANI DVCIS SANCTI SABÆ,
EX GENERE HELENÆ ET DOMO CÆSARIS STEPHANI
NATÆ, THOMÆ REGIS BOSNIÆ VXORI,
QVÆ VIXIT ANNOS LIV,
ET OBIIT ROMÆ ANNO M CCCC XXVIII,
XXV DIE OCTOBRIS. MONVMENTVM
IPSIVS SCRIPTIS POSITVM.

Quod ſupereſt, haud arbitror, *laminam* illam *auream*, tribus involucris ſummâ, ut fieri potuit, curâ & occultandi ſtudio incluſam, ordinariam tantùm continere Inſcriptionem ſepulchralem, cujuſmodi ſunt vulgares illæ, quæ vel ambitioſâ oſtentatione, vel tralatitiâ conſuetudine antiquis marmoribus ſepulchralibus inciſæ reperiuntur; ſed Inſcriptionem hanc potiùs exiſtimo ex illo eſſe *epiſtolarum* genere, quæ ab antiquis *Celtis*, quorum appellatione etiam *Pannonij* comprehenduntur, defunctorum imponebantur rogis, ut ab ijs in aliâ poſt hanc vitam vitâ legerentur. Crediderunt enim univerſi veteres *Celtæ*, hoc eſt, *Illyrij, Germani, Galli, Hiſpani,* & *Britanni* immortalitatem animarum, & tranſitum mortuorum ex hâc vitâ in aliam, ut teſtatur *Lucanus* Pharſaliorum libro primo, ubi de *Druidis* Celtarum ſapientibus agens, ſic canit;

- - - - - Vobis auctoribus umbræ
Non tacitas Erebi ſedes Ditisq; profundi
Pallida regna petunt: regit idem ſpiritus artus
Orbe alio. Longæ (canitis ſi cognita) vitæ
Mors media eſt.

Eodem pertinet inſignis hic Pomponij Melæ locus lib. 3 de Situ Orbis cap. 2: *Druides terræ mundiq; magnitudinem & formam, motus cœli ac ſiderum, ac, quid Dij velint, ſcire profitentur: docent multa nobiliſſimos gentis clam & diu, vicenis annis in ſpe-*

cu aut in abditis ſaltibus. Vnum ex ijs, quæ præcipiunt, in vulgus effluit, videlicet ut forent ad bella meliores, æternas eſſe animas, vitamq; alteram ad manes. Itaq; cùm mortuos cremant ac defodiunt, apta viventibus olim negotiorum ratio etiam & exactio crediti deferebatur ad inferos; erantq; qui ſe in rogos ſuorum, velut unà victuri, libenter immitterent. Hæc Pomponius Mela. Notabile autem hîc inprimis eſt, quod ait, *aptam viventibus olim negotiorum rationem & exactionem defunctis commiſſam fuiſſe* ab ijs, *qui* ſuperſtites in hâc vitâ remanerent. Hujuſmodi nempe *commiſſio negotiorum in alterâ vitâ gerendorum* fiebat per *epiſtolas*, quæ conijciebantur in rogum, & cum crematorum reſiduis oſſibus defodiebantur. Teſtatur enim hoc *Diodorus Siculus* Bibliothecæ Hiſtoricæ libro quinto, ubi de moribus Celtarum veterum agit, his verbis: εἰώθασι καὶ παρὰ τὸ δεῖπνον ἐκ τῶν τυχόντων πρὸς τὴν διὰ τῶν λόγων ἅμιλλαν καστάντες, ἐκ προκλήσεως μονομαχεῖν πρὸς ἀλλήλους, παρ' οὐδὲν τιθέμενοι τὴν τοῦ βίου τελευτήν. ἐνισχύει γὰρ παρ' αὐτοῖς ὁ τοῦ Πυθαγόρου λόγος, ὅτι τὰς ψυχὰς τῶν ἀνθρώπων ἀθανάτους εἶναι συμβέβηκε, καὶ δι' ἐτῶν ὡρισμένων πάλιν βιοῦν, εἰς ἕτερον σῶμα τῆς ψυχῆς εἰσδυομένης. διὸ καὶ κατὰ τὰς ταφὰς τῶν τετελευτηκότων, ἐνίους ἐπιστολὰς γεγραμμένας τοῖς οἰκείοις τετελευτηκόσιν ἐμβάλλειν εἰς τὴν πυρὰν, ὡς τῶν τετελευτηκότων ἀναγνωσομένων ταύτας. H. e. *Solent inter ipſas quoq; epulas causâ ex jurgio leviter arreptâ, exſurgere, & ex provocatione inter ſeſe digladiari, vitæ jacturam nihili æſtimantes: nam Pythagoræ apud illos opinio invaluit, quòd animæ hominum immortales in aliud ingreſſæ corpus, definito tempore denuò vitam capeſſant; ideòq; in funeratione mortuorum, quaſdam epiſtolas propinquis defunctis inſcriptas, in rogum conijciunt, quæ ab ijs legantur.* Hucuſque Diodorus Siculus. Quomodo autem, quæ de *Pythagoricâ* μετεμψυχώσει ſive *tranſmigratione animarum* hîc traduntur accipienda ſint, & quòd Gallorum veterum lingua, doctrina, & vivendi ratio reliquis etiam Celtis, h.e. Germanis, Hiſpanis, Britannis & Illyrijs maxima ex parte communis fuerit, eruditiſſimè docet ac ſolidiſſimè demonſtrat *Philippus Cluverius*, ſuprà laudati Operis de Germaniâ antiquâ libro primo capite ſecundo & ſequentibus. Præcipuè tamen pertinent huc cap. 32 & 53. Conſulendus etiam eſt de eâdem re *Elias Schedius* Syngrammatis ſecundi *de Dijs Germanis* capite 19 & 47. Quandoquidem igitur certò conſtat, *Pannoniam* Illyrici vete-

ris,

ris, & conſequenter etiam *Celticæ veteris* partem eſſe, ejusq́; incolas eâdem ferè linguâ ac ijſdem moribus, quibus reliqui *Celtæ*, olim uſos fuiſſe, haud abſurdè hinc colligitur, laminam illam auream triplici involucro incluſam, quæ Vindodonæ in antiquâ arcâ ſepulchrali lapideâ inventa eſt, pro *funebri* quadam *epiſtolâ*, conſueto Celtarum more cum defuncti oſſibus poſt cremationem reſiduis defoſsâ, habendam eſſe.

Eo igitur, ut jam narravi, modo, ſe habet antiquum illud *monumentum ſepulchrale*, ſuperiori anno 1662, ſub ipſis veterum *Vindobonæ* mœnium fundamentis inventum, cujus reſidua fragmenta d. 30 Auguſti anni hujus 1663 Ipſius, ut ſuprà memoratum eſt, S. Cæſ. Majeſtatis præſenti ac prorsùs ſtupendâ benignitate in *Pinacothecâ Cæſareâ* primâ vice contemplatus ſum. LXXIX. Quamvis autem ſexto pòſt die, nempe *die quinto Septembris*, cùm *Turcæ* ac *Tartari*, ſuperatis *Vago* & *Maro* fluvijs, in *Moraviam* penetraſſent, *Vrbs Vindobonenſis* primum aperti *belli Turcici* ſenſerit tumultum, ideòq́; *Cæſar* ex illo tempore plurimis graviſſimisq́; occupationibus aſſiduè diſtrictus fuerit, ſubinde tamen quaſi reſpirandi causâ, vel erudito colloquio, vel boni alicujus libri, *Hiſtorici* præcipuè aut *Politici*, lectione Se oblectavit, &, quantum inter militares curas *Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Suæ* curam gereret, memorabili oſtendit exemplo, dum eam ante profectionem ad *Comitia Ratisbonenſia d. 12 Novembris*, ab horâ nonâ matutinâ uſq; ad dimidiam duodecimam inviſit, & tanquam valedicens perluſtravit. Quin etiam, veluti privatus, quoſcunq́; libros ex eâdem acceperat, ante diſceſſum religioſiſſimè reſtituit, uno tantùm, quem in itinere legeret, retento, nempe *Hieremiæ Gundlachij manuſcripta*, & hactenùs inèditâ (1) *Deſcriptione latinâ Hiſpaniæ*: quod opus tàm propter non vulgarem eruditionem, quàm incredibilem *Chorographicarum & Topographicarum Tabularum* elegantiam digniſſimum eſt, ut aliquando in lucem prodeat. Quod reliquum eſt, cùm decimo octavo pòſt die, qui *ultimus* erat *Novembris*, poſtremâ vice poſt meridiem in Palatium accerſitus eſſem, tradidit *CÆSAR* mihi ſuprà memoratarum *veteris Sarcophagi Vindobonenſis* antiquitatum æri inciſarum exemplaria circiter centum, alijſq́; varijs de rebus parbenignè mecum collocutus, incredibili demùm humanitate ac clementiâ Sacram Manum valedictionis loco oſculandam mihi præbuit. Sequenti autem die, nempe *Kalendis Decembris*, IPSE quidem *Ratisbonenſe iter* ſummo mane inchoavit, ego verò cui Bibliothecæ causâ *Vindobonæ* remanendum erat, animo ſaltem, quandoquidem corpore non licebat, Optimum Principem comitatus, pro incolumitate Sacræ Ipſius Majeſtatis, fauſtoq́; rerum

(1) *Titulus ejus integer in ipſo Codice autographo in fol. hic eſt:* Nova Hiſpaniæ Regionũ Deſcriptio; induſtriâ atq́; manu Hieremię Gũdlach conſcripta & delineata, Anno MVSICA GRATA DEO.

anno 1506.
M. 1000
D. 500
V. 5
I. 1
1506.

rum gerendarum ſucceſſu, & maturâ remigratione *Bonum Eventum & Fortunam Reducem* votivis ſolicitavi precibus, & etiam nunc ſo-
LXXX. licito. Hæc habui, *Chariſſime Sluſi,* quæ de ultimo itinere meo, à ſuperioris *anni 1662 die 24 Aprilis,* quo è patriâ diſceſſi, uſq; ad *anni hujus 1663 Kalendas Decembris,* quibus *CÆSAR Vindobonâ ad Comitia Ratisbonenſia* profectus eſt, ad Te perſcriberem. Cæterùm aut ego non Te novi, aut Tu per jocum hanc meam Periegeſin Homerico illo claudes epiphonemate:

> Ἄνδρα μοι ἔννεπε Μοῦσα πολύτροπον, ὃς μάλα πολλὰ
> Πλάγχθη,

quod quidem licet uſque facias, dummodò ſimul etiam ſeriò admireris, quàm miris & occultis modis Deus mecum egerit. Quod enim ego ultimum & certiſſimum perpetuæ in patriâ quietis ſtabilimentum judicaveram, illo ipſo Devs contra opinionem meam uſus eſt ad abrumpenda uno impetu omnia retinacula, quæ partim per ſe, partim reſpectu ingenerati amoris erga natale ſolum *Hamburgi* me detinuerant. Quis autem novæ iſtius & inopinatæ viciſſitudinis futurus eſſet eventus, tunc quidem, cùm è Patriâ diſcederẽ prorſus mihi erat incognitũ, nunc verò, poſtea quam *in S. Caſ. Majeſtatis Aulâ* rerum & fortunarum mearum domicilium collocavi re ipsâ eum ſentio, & pro adverſariorum meorum rabie in ſalutem meam converſâ, maximas PROVIDENTIÆ DIVINÆ ago gratias. Summo igitur jure epiſtolã hanc finio aureâ illâ, quam ipſe veriſſimam expertus ſum, *Euripidis* (1) ſententiâ:

(1) *In fine* Medeæ.

> Πολλὰ δ' ἀέλπτως κραίνουσι θεοί,
> Καὶ τὰ δοκηθέντ' οὐκ ἐτελέσθη,
> Τῶν δ' ἀδοκήτων πόρον εὗρε θεός.

Hoc eſt, ut ego interpretor:

> *Multa DEVS præter ſpem & expectationem facit mortalium;*
> *Ideoq; accidit, ut, quæ quis certò futura crediderat, ſæpè nõ eveniant,*
> *Et contrà earum rerum, quæ habitæ fuerant inextricabiles, inopinatus Providentiæ Divinæ ductu inveniatur exitus.*

Vale, Amice fideliſſime, &, ſi præteritum ſilentium meum nimiâ forſan ſcribendi prolixitate nunc compenſavi, æquanimitate ſolitâ ignoſce. Dabam Vindobonæ in Auguſtiſſimâ Bibliothecâ Cæſareâ, Kal. Decembris Anno Æræ Chriſtianæ MDCLXIII.



Inter pag. 96 & 97.

LIBRI PRIMI COMMENTARIORVM

DE

AVGVSTISSIMA

BIBLIOTHECA CÆSAREA VINDOBONENSI

PARS SECVNDA,

Continens

PRÆCEDENTIS EPISTOLÆ

APPENDICEM,

SIVE,

Additamenta quinque ad Hiſtoriam Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ pertinentia; quorum Synopſis ſecundâ abhinc paginâ exhibetur.

DEMEA

DEMEA
APVD TERENTIVM ADELPH. ACT. V. SCEN. IV.

NVNQVAM ITA QVISQVAM BENE SVBDVCTA RATIONE AD VITAM FVIT,
QVIN RES, ÆTAS, VSVS SEMPER ALIQVID ADPORTET NOVI:
ALIQVID MONEAT, VT ILLA, QVÆ TE SCIRE CREDAS, NESCIAS;
ET, QVÆ TIBI PVTARIS PRIMA, IN EXPERIVNDO REPVDIES.

SYNO-

SYNOPSIS
SEQVENTIVM QVINQVE ADDITAMENTORVM.

Additamento I continetur

Recenſio & generalis deſcriptio *ſeptem* MStorum Codicum Operis *S. Gregorij Nyſſeni de creatione hominis*, qui in Auguſtiſſimâ Bibliothecâ Cæſareâ adſervantur.

Additamento II continentur

Lucæ Holſtenij Epiſtolæ tres ad *Sebaſtianum Tengnagelium* Auguſtiſſ. Bibliothecæ Cæſareæ Præfectum, quibus annexa eſt *Nota librorum editorum Romæ linguâ Arabicâ & Syriacâ*; nec non *Catalogus Homiliarum SS. Patrum Græcorum*, & *Geographorum veterum Græcorum ac Latinorum*, quos idem *Holſtenius* olim edere conſtituerat. Accedit inſuper *Annotatio* de *tribus* Auguſtiſſ. Bibliothecæ Cæſareæ MStis Codicibus, in *ſecundâ* & *tertiâ* Holſtenianâ epiſtolâ memoratis, quorum primus *Perdicæ Protonotarij Epheſini Deſcriptionem metricam ſanctorum locorum Hieroſolymitanorum*, ſecundus *Excerpta ex Arriani Deſcriptione Ponti Euxini*, tertius autem *octodecim priores libros Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Nicephori Calliſti* complectitur. Clauditur deniq; hoc Additamentum Epilogo de *Bibliotheca Tengnageliana Pentateucho Hebraico, Arabico & Perſico*, Conſtantinopoli excuſo A. 1545 vel 1546 in fol.

Additamento III continetur

Gabrielis Naudæi locus notabilis de Auguſtiſſ. Bibliothecæ Cæſareæ *Origine & Incremento*, cum neceſſarijs quibuſdam *Animadverſionibus* quibus non tantùm demonſtratur, primam jam memoratæ Bibliothecæ inſtitutionem perperàm *Imp. Friderico II* attribui, verum etiam complures graviſſimi *errores* partim in *Catalogo MStorum Codicum Græcorum Sacrorum* ejuſdem Bibliothecæ, à R. P. *Antonio Poſſevino* edito, partim in *Joannis Jacobi Friſij Bibliothecâ Univerſali*, partim in *Antonij Verderii Bibliothecâ Conſtantinopolitanâ* occurentes, deteguntur & emendantur; eâq; occaſione non pauci optimæ notæ MSti Codices in Auguſtiſſ. Bibliothecâ Cæſareâ extantes, recenſentur; quorum præcipui, quibus cùm alia multa præclara veterum Autorum ſcripta, tùm quoque continentur *Opera S. Ephræmi Syri*; *Acta Synodi Nicenæ II ſive Oecumenicæ VII, & Hiſtoria Miraculi per imaginem Chriſti, à Iudæis in Urbe Beryto crucifixam, editi*; *Homilia de expulſione Adami ex Paradiſo, & de bonis atq; malis mulieribus, quæ S. Joanni Chryſoſtomo vulgò attribuitur*: *Georgij Gemiſti Plethonis opuſcula varia*; *Georgij Mytilenæi oratio de paſſione Chriſti*; *Ioannis Stauracij Chartophylacis Theſſalonicenſis Oratio de miraculis S. Demetrij Proconſulis & Martyris*; *Joannis Philoponi libri ſeptem Commentariorum in caput primum Geneſeos, & Ejuſdem Diſputatio de Paſchate*; *Euſebij Pamphili, Epiſcopi Cæſareæ Palæſtinæ, Eclogarum Propheticarum de Chriſto libri quatuor hactenùs inediti, quorum tertio egregius locus ex libro quinto Chronographiæ Sexti Julij Africani inſertus eſt*; *Philonis Hebræi opuſcula quædam*; *S. Cyrilli Epiſcopi Hieroſolymitani Catecheſes*; *Palladij Epiſcopi Helenopoleos ad Præpoſitum Lauſum de diverſis SS. Patribus narratio*; *Demetrij Cydonij Opuſculum de Proceſſione*

Spiritus

Spiritus Sancti, & ejuſdem translatio Græca Refutationis Alcorani Muhammedici, à Richardo monacho Dominicano linguâ latinâ conſcriptæ; Theodori Balſamonis, Patriarchæ Antiocheni Expoſitio Sacrorum Canonum Synodalium; S. Thomæ Aquinatis Argumentationes de Divinâ Incarnatione, & alia quædam ejuſdem opuſcula ex Latino ſermone in Græcum verſa; ac demùm Procli Diadochi libri ſex de Theologiâ Platonicâ.

Additamento IV continetur

Narratio de pretioſiſſimo Codice membranaceo MSto *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Nicephori Calliſti*, à *Tengnagelio* ad Illuſtriſſ. Præſidem *Jac. Aug. Thuanum* impreſſionis causâ A. 1614 *Lutetiam Pariſiorum* miſſo, & anno demum 1627 remiſſo in *Auguſtiſſ. Bibliothecam Cæſaream.* Cujus rei confirmandæ gratiâ inſertæ ſunt huic Narrationi *Epiſtolæ variæ* eò pertinentes; nempe *Roberti Scheilderi*, primùm *Atrebatenſis*, deinde *Cameracenſis Canonici*, Latina ad *Tengnagelium*, data Linzij d. 6 Septembris A. 1614; Illuſtriſſimi Præſidis *Jacobi Auguſti Thuani* Gallica ad jammemoratum *Scheilderum*, data Lutetiæ Pariſiorum d. 22 Julij A. 1614; R. P. *Frontonis Ducæi*, è Societ: JESV, Latina ad *Tengnagelium*, data Lutetiæ Pariſiorum d. 24 Februarij A. 1615; Ejuſdem R. P. *Frontonis Ducæi* Gallica ad *Scheilderum*, data Lutetiæ Pariſiorum d. 15 Maij A. 1615; Illuſtriſſ. Præſidis *Jacobi Auguſti Thuani* Latina ad *Tengnagelium*, data ex Villabonio d. 4. Maij A. 1615; R. P. *Frontonis Ducæi* Latina ad *Tengnagelium*, data Lutetiæ Pariſiorum d. 13 Januarij A. 1621; ac deniq; R. P. *Jacobi Sirmondi*, è Societ JESV Latina ad *Tengnagelium*, data Lutetiæ Pariſiorum d. 3. Septembris A. 1626.

Additamento V continetur

Catalogus quorundam MStorum Codicum *Arabicorum*, *Perſicorum*, *Turcicorum* & *Hebraicorum*, Auguſtiſſ. Bibliothecæ Cæſareæ à *Tengnagelio* legatorum; quorum *duo Perſici* atq; *unus Arabicus* à *Wilhelmo Schikardo* in Proœmio *Tarich* ſive *Seriei Regum Perſiæ*, ut præ cæteris rariſſimi, ſpeciatim laudantur. Adjecta ſunt huic Catalogo neceſſaria quædam *Scholia* de *Ærâ annorum Hegiræ Muhammedicæ*; de *Ærâ Judaicâ R. Hillelis Hannaſi*; de *vitis quatuor Evangeliſtarum*, & *Notis in Evangelium S. Matthæi*, ex *Tengnageliana* Codice *Arabico* à *Petro Kirſtenio Vratislavienſi* editis; & de nonnullis alijs rebus itidem notatu dignis. Clauditur hoc Additamentum prudentiſſimâ pariter ac eruditiſſimâ Epiſtolâ *Petri à Valle Romani*, partim quidem de *ſtudio linguarum Orientalium*, partim autem de *Perſici* & *Turcici Imperij* ſtatu *politico* ac *militari* ad *Tengnagelium* ſcriptâ Romæ d. 29 Junij A. 1628.

APPEN-

APPENDIX PRÆCEDENTIS EPISTOLÆ, CONTINENS ADDITAMENTA QUÆDAM, AD HISTORIAM AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ PERTINENTIA.

ADDITAMENTUM I

De *S. Gregorij Nyſſeni Opere de Creatione hominis*, pertinens ad præcedentis Epiſtolæ Segmentum (1) quadrageſimum quintum.

(1) *Vid. ſuprà pag.* 43.

SEptem illorum Codicum manuſcriptorum Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ, quibus *S. Gregorij Nyſſeni Opus de Creatione hominis* continetur, *primus*, qui inter Codices MStos Theologicos Græcos *quadrageſimum primum* locum obtinet, antiquiſſimus eſt & optimæ notæ, elegantiſſimo charactere in membranâ exaratus eâ formâ, quam vulgò vocant in quarto majori, vel minori folio. Fuit is olim, ut ex ambuſtâ margine apparet, in maximo incendij periculo, & per varios fortunæ caſus, tandem devenit in manus V. CL. *Sebaſtiani Tengnagelij*, poſt cujus mortem in Bibliothecam Cæſaream tranſijt. Principium Operis de creatione hominis in eo Codice mutilum eſt. Titulus enim & Præfatio ad *Petrum fratrem* deſunt: primum autem folium continet lemmata capitum totius libri, ſub hâc Inſcriptione: Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Γρηγορίου Ἐπισκόπου (1) Νύσης κεφάλαια τριάκοντα εἰς τὴν τοῦ ἀνθρώπου κατασκευήν. Finito hoc Indice deſunt integra *ſeptem* priora capita & pars *octavi* uſq; ad illa verba: εἰ γὰρ ἄμοιρος τῶν χειρῶν ὁ ἄνθρωπος ἦν, πάντως ἂν αὐτῷ καθ' ὁμοι(2)ότητα τῶν τετραπόδων καταλλήλως τῇ τῆς τροφῆς χρείᾳ διεσκεύαστο τοῦ προσώπου τὰ μόρια. Cætera, quæ deinceps ſequuntur, uſq; ad finem totius Operis ſuperſunt omnia.

(1) *Ita legitur in MSto, nempe* Νύσης per unicũ ſigma, *non verò* Νύσσης *per ſigmâ* duplex

(2) *A dimidiatâ hâc voce* ὁμοιότητα *incipit pars capitis* octavi, *quæ in Codice MSto ſupereſt.*

Secundus Codex, inter Theologicos Græcos MStos N. 52, chartaceus eſt in majori quarto vel folio minori, ſcript⁹ à quodã *Nicolao Patrino* A. 1412. Inſcriptio totius Operis de creatione hominis & Epiſtolæ dedicatoriæ ad *Petrum fratrem* ita ſe habet: περὶ εἰκόνος

ἀνθρώπου τοῦ μακαρίου Γρηγορίου ἀδελφοῦ τοῦ ἁγίου Βασιλείου. τῷ τιμιωτάτῳ ἀδελφῷ δούλῳ θεοῦ Πέτρῳ ἐπισκόπῳ Γρηγόριος ἐν κυρίῳ χαίρειν. Εἰ ταῖς διὰ τῶν χρημάτων τιμαῖς, &c. Notandum autem eſt, *Petrum* S. Gregorij Nyſſeni fratrem hîc vocari *Epiſcopum*. Quamvis enim is initiò addictus fuerit *vitæ monaſticæ*, ut teſtatur Socrates Hiſt. Eccleſ. lib.4. cap.21, poſteà tamen à fratre ſuo *S. Baſilio Magno* ex monacho ordinatus fuit *presbyter*, & demùm evaſit *Epiſcopus Sebaſtæ* in Armeniâ.

Tertius Codex, inter Theologicos Græcos MStos N.77, chartaceus eſt in quarto, ſed præcedente antiquior & à tineis vehementer arroſus. Titulꝰ totius Operis deeſt. Præfationis autẽ ad *Petrũ fratrẽ* hæc eſt Inſcriptio: Τῷ ἀδελφῷ δούλῳ θεοῦ Πέτρῳ ἐπισκόπῳ Γρηγόριος ἐπίσκοπος Νύσης. Εἰ ταῖς διὰ, &c. Obſervatu porrò dignum eſt, in hoc etiam Codice ſedem S. Gregorij Nyſſeni Epiſcopalem non *Nyſſam*, ſed *Nyſam* vocari, æquè ac in primo Codice membranaceo. Notandum item eſt, tertij hujus Codicis poſſeſſorem olim fuiſſe *Cretenſem* quendam *Marcum Mamunam*, ut ipſe teſtatur hâc propriæ manus inſcriptione: κτῆμα Μάρκου Μαμουνᾶ τοῦ Κρητός. Poſteà verò pervenit hic Codex in manus V. CL. *Ioannis Sambuci*, & poſt ejus mortem in Bibliothecam Cæſaream. Meminit illius *Ioannes Iacobus Friſius* in editione ſuâ Bibliothecæ Geſnerianæ, ubi de *Theodoro Smyrnæo* agitur, his verbis: *Theodori Smyrnæi de phyſicâ doctrinâ & principijs* ἐπιτομὴ ἐκτεθεῖσα τμήμασι τέτταρσι: *in Bibliothecâ Ioan. Sambuci. Et manuſcript. in Bibl. Imperatoriâ Viennæ.* Hæc Friſius. Quæ verba non ſic interpretanda ſunt, quaſi Codex Epitomes Phyſicæ *Theodori Smyrnæi*, qui penes *Ioannem Sambucum* fuit, diverſus fuerit ab eo, qui adſervatus fuit in *Bibliothecâ Cæſareâ*. Unus enim atq; idem ſignificatur Codex, qui nunc in *Bibliothecâ Cæſareâ* inter MStos Codices Theologicos Græcos eſt *ſeptuageſimus ſeptimus*, & præter *S. Gregorij Nyſſeni librum de creatione hominis*, aliaq; varia diverſorum Autorum opuſcula, *Epitomen* quoq; continet *Phyſicam Theodori Smyrnæi*, cujus Inſcriptio folio 244 hæc eſt: ἐπιτομὴ τῶν ὅσα περὶ φύσεως καὶ τῶν φυσικῶν ἀρχῶν τοῖς παλαιοῖς διείληπται, ἐκτεθεῖσα περὶ θεοδώρου ὑπάτου τῶν φιλοσόφων τοῦ Σμυρναίου ἐν τμήμασι τέταρσι.

Quartus Codex, inter Theologicos Græcos MStos N.335, chartaceus eſt in quarto majori, & æquè ac præcedens antiquus. In principio præ vetuſtate vix ampliùs cohæret. In fine verò *Augerius Busbeckius* ſuâ manu adſcripſit, *ſe illum comparâſſe Conſtantinopoli*.

Præ-

Præfatio ad *Petrum fratrem* deeſt. Inſcriptio autem totius Operis folio 75 ſic concepta eſt: Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Γρηγορίου ἐπισκόπου Νύσσης, ἀδελφοῦ τοῦ μεγάλου Βασιλείου εἰς τὴν τοῦ ἀνθρώπου κατασκευήν.

Quintus Codex, inter Philoſophicos & Philologicos Græcos MStos N. 63, eſt chartaceus in quarto minori, & æquè antiquus ac præcedens. Fuit is olim *Ioannis Sambuci*, qui eũ, ut ipſe primâ paginâ teſtatur, *quinq;* emit *aureis*. Inſcriptio *Operis de creatione hominis* folio 134 hæc eſt: Τοῦ Γρηγορίου ἐπισκόπου Νύσσης πρὸς Πέτρον τὸν ἴδιον ἀδελφὸν εἰς τὰ λοιπὰ τῆς ἑξαημέρου τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ Βασιλείου. Præfatio ad *Petrum fratrem* deeſt.

Sextus Codex, inter Philoſophicos & Philologicos Græcos MStos N. 65, chartaceus eſt in quarto majori, & tàm in principio, quàm in fine hanc continet *Busbeckianæ* manus inſcriptionẽ: *Augerius de Busbecke comparavit Conſtantinopoli.* Continentur eo Codice cùm alia varia diverſorum veterum Autorum opuſcula, tùm quoq; libri *S. Gregorij Nyſſeni de creatione hominis* capita ſex: nempe caput 10, ὅτι διὰ τῶν αἰσθήσεων ὁ νοῦς ἐνεργεῖ; caput 11, ὅτι ἀθεώρητος ἡ τοῦ νοῦ φύσις; caput 13, περὶ ὕπνου καὶ χάσμης, καὶ ὀνείρων αἰτιολογία; caput 28, πρὸς τοὺς λέγοντας, προϋφεστάναι τὰς ψυχὰς τῶν σωμάτων, &c; caput 29, κατασκευὴ τοῦ μίαν καὶ τὴν αὐτὴν ψυχῇ τε καὶ σώματι τὴν αἰτίαν τῆς ὑποδέξεως εἶναι; & caput 30, θεωρίας ἰατρικωτέρα περὶ τῆς τοῦ σώματος ἡμῶν κατασκευῆς δι' ὀλίγων. Inſcriptio horum *ſex* capitum generalis in eodem Codice folio 464 hæc eſt: Γρηγορίου τοῦ Νύσσης ἀπὸ τῆς ἑξαημέρου. Cæterùm benè notandum eſt, non tantùm in *ſexto* hoc Codice MSto, verùm etiam in *quinq;* ſuperioribus Codicibus, lemma capitis undecimi conſtanter legi hoc modo: ὅτι ἀθεώρητος ἡ τοῦ νοῦ φύσις. In Venetâ enim Aldi editione, quæ A. 1536 græcè in 8vo in lucem prodijt, perperam legitur: ὅτι ἀθεώρητος ἡ τοῦ ἀνθρώπου φύσις. Emendanda etiam eſt Pariſina editio græco-latina A. 1615 in fol., ubi itidem pro νοῦ legitur ἀνθρώπου; & verſio Joannis Leunclavij, *Naturam hominis totam conſideratione noſtrâ perſpici non poſſe*, ſic mutanda eſt, *Naturam mentis non poſſe humanâ contemplatione percipi.* Veritas hujus lectionis, præterquam quòd jam enumeratis *ſex* antiquis Codicibus manuſcriptis ſatis ſtabilita ſit, inſuper etiam evidentiſſimè per ſe apparet ex abſurditate ſententiæ, ſi antiqua retineatur lectio, nempe ὅτι ἀθεώρητος ἡ τοῦ ἀνθρώπου φύσις: nec fugit hoc

Joannem Leunclavium, ideoq; , ut inconvenientiã hujus depravatæ lectionis qualitercunque tegeret, non ſimpliciter vertit, *naturam hominis conſideratione noſtrâ perſpici non poſſe*, ſed translationi græcorum verborum gloſſematis loco addidit, *totam naturam hominis conſideratione noſtra perſpici non poſſe.* Huc denique accedit auctoritas ipſius *S. Gregorij Nyſſeni*, utpote qui veritatem lectionis *νȣ̃* pro *ἀνθρώπȣ* confirmat tàm in principio, quàm in fine iſtius capitis. Orditur enim caput his verbis: *Τι τοίνυν ἐςὶ κατὰ τὴν ἑαυτȣ̃ φύσιν ὁ νȣ̃ς;* h. e. *Quid igitur naturâ ſuâ mens eſt?* Claudit autem illud hoc modo: *ἐπειδὴ δὲ διαφεύγει τὴν γνῶσιν ἡ κατὰ τὸν νȣ̃ν τὸν ἡμέτερον φύσις, ὅς ἐςι κατ' εἰκονα τȣ̃ κτίσαντος, ἀκριβῆ πρὸς τὸ ὑπερκείμενον ἔχει τὴν ὁμοιότητα, τὸ καθ' ἑαυτὸν ἀγνώςῳ χαρακτηρίζων τὴν ἀκατάληπτον φύσιν.* H. e.: *Quandoquidem verò naturam mentis noſtræ, ad Creatoris imaginem factæ, intelligentiæ vis aſſequi non poteſt, accuratam ea naturæ ſupra nos exiſtentis ſimilitudinem refert, inq; eo, quod & ipſa indagari non poteſt, expreſſas naturæ incomprehenſibilis notas oſtendit.* Hæc ipſe Gregorius. Quod ſupereſt, occaſionem in lemmate hujus capitis errandi librarijs præbuit ſimilitudo vocis *νοῦ* & vocis *ἀνθρώπȣ*, quippe quæ in antiquis Codicibus MStis abbreviatè ſcribitur *ἄνου*.

Septimum denique *Codicem*, qui olim inter MStos Codices Hiſtoricos Latinos fuit *ducenteſimus nonageſimus nonus*, & præter alia varia diverſorum autorum ſcripta, Dionyſij etiam *Exigui* Abbatis Romani, antiquam *Operis S. Gregorij Nyſſeni de creatione hominis latinam verſionem* continuit, nondum quidem in Auguſtiſſimâ Bibliothecâ Cæſareâ inveni, minimè tamen dubito, quin eum aliquando reperturus ſim. Interim hoc obiter monendum cenſeo, errare *Ioannem Leunclavium*, dum in principio Annotationum ſuarum ad librum S. Gregorij Nyſſeni de creatione hominis ſcribit, antiquum ejus interpretem *Dionyſium Exiguum* reſpectu anni 1567, non niſi *ante quadringentos annos* vixiſſe. Metachroniſmum enim committit *pluſquam ſexcentorum annorum*; utpote cùm certò conſtet, *Dionyſium Exiguum* ſeculo poſt Chriſtum *ſexto* ſub Imperio *Iuſtiniani I ſive Magni* floruiſſe, & A. 532 primum omnium in Eccleſiam Chriſtianam introduxiſſe vulgarē illam à nativitate Chriſti ſupputationem, quæ licet à *Venerabili Beda* differentiâ *octidui* fuerit immutata, à Chronologis tamen etiam nunc *Dionyſiana* appellatur.

AD-

ADDITAMENTUM II

De amicitiâ Sebaſtiani Tengnagelij cum Luca Holſtenio, pertinens ad præcedentis Epiſtolæ Segmentũ *(1)* quinquageſimum quartum.

(1) Vide ſuprà pag. 58.

Inter claros hujus ſeculi Viros, quibuſcum *Tengnagelio* interceſſit familiaritas & amicitia, Avunculus etiam meus fuit *Lucas Holſtenius*, ut videre eſt ex ſequentibus *tribus* Epiſtolis ejus, quæ in Auguſtiſſimâ Bibliothecâ Cæſareâ autographæ adſervantur.

EPISTOLA PRIMA.

Perilluſtris Domine:

Dum ob negotiorum multitudinem & temporis anguſtias ad te viſere non licet, ut ſtudia & obſequia verbis offeram, haud ægrè pro ſingulari tuâ humanitate feres, me literas voluntatis meæ animiq; addictiſſimi interpretes ad te mittere. Cùm Warſoviæ eſſem, monuit me Illuſtriſſimus Card. Barberinus, Muſagetes noſter, ut in reditu ad hanc civitatem in Sereniſſimi Imperatoris Bibliothecâ inſpicerem diligentiùs Codicem perantiquum, quo Pontificum Romanorum res geſtæ & inſignia gentilitia plurima continentur: quem Codicem olim penes Maximilianum Cæſarem fuiſſe, & nunc penes Auguſtiſſimos ejus Succeſſores aſſervari Ciacconius ille teſtatur, qui de Pontificum vitis prolixè ſcripſit. Quocirca vehementer te rogo, ut Codicis inſpiciendi copiam mihi facere non graveris, ut Illuſtriſſimo ſtudiorum meorum patrono diligentius perquirenti ſatisfacere poſſim. Si quid viciſſim Romæ curatum volueris, eam adhibebo curam fidemq;, ut devinctiſſimum me tua humanitate agnoſcas. Salve à tui amantiſſimo atq; obſervantiſſimo

Viennæ ex ædibus Illuſtriſſimi   *Lucæ Holſtenio*
Card. Pallotti
d. VII Maij A. 1630.

Inſcriptio harum literarum externa:
Perilluſtri & Ampliſſimo Dn. D. Tengnagelio
S. C. M. Bibliothecario

EPISTOLA SECUNDA.

Nobiliſſimo & Ampliſſimo D. Tengnagelio I.C.
Lucas Holſtenius χαίρειν καὶ εὐπράττειν.

Tantum me inſigni tuâ humanitate devinxiſti, cùm nuper Viennâ tranſirem, ut & benevolentiæ memoria perpetuò animo obverſetur, nec de gratiâ referenda cogitationem unquam deponam; nec mi-

minori facilitate ſpero, hoc obſervantiæ meæ teſtimonium admittes, quàm tùm præſentem in amicitiam recepiſti. Mitto Syllabum librorum Syriacâ & Arabicâ linguâ hîc editorum, quem tu haud obſcurè tum requirere videbaris, ut ſi quid eorum pro tua vel Cæſareâ Bibliothecâ emptum cupias, mihi quam primùm ſignifices. Dabo enim operam, ne fidem & diligentiam meam hâc in re deſiderare poſſis. Precio non uſque adeò magno væneunt, ideòque præcipuis duntaxat adſcripſi, & qui ſoli ſunt ἀντάξιοι καὶ ἀντίσταθμοι *cæterorum omnium. Prodierunt etiam neſcio quæ Æthiopica ex typographia Congregationis propagandæ fidei, quæ & haberi haud magnâ cum difficultate, & reliquis adjungi poterunt, ſi id tibi volenti fore intelligam. Nunc viciſſim id ſummoperè abs te contendo; Vir Ampliſſime, ne mei causâ graveris inſpicere duos Codices MSStos Cæſareæ Bibliothecæ, quos ipſe quidem in Indice notarã, ſed ob diſceſſum celeriorem perquirere & excutere non potui. Alter eorum inter Hiſtoricos eſt XXXIIItius, continens inter alia Perdiccæ Protonotarij Epheſini deſcriptionem Locorum Sanctorum in Ieruſalem, verſibus. Alter verò LXVIIIvus eſt inter Philoſophicos, cujus titulus promittit Arriani excerpta de Ponto Euxino. De priori id ſcire velim, ſitne eadem illa* ἔκφρασις περὶ τῶν ἐν Ἱεροσολύμοις κυριακῶν θεμάτων, *quam ſine certi Autoris nomine. Fed. Morellus Pariſijs edidit ante paucos hoſce annos. Conſtat totum opuſculum CCLX verſibus politicis, quos vocant, ſive rhythmicis, quorum primus eſt:*

Επείπερ πολυέραστον, οἶδα, τυγχάνει πᾶσι
Τὴν τῆς Σιὼν διήγησιν, &c.

poſtremus verò,

Δευτέραν τὴν ἀναψυχὴν εὑρῶμεν τῶν λεχθέντων.

Sin idem ſit auctor, quod puto, titulum græcum, ut in MSto legitur, mihi enotari velim, ut opus ἀδέσποτον ſuo ſibi parenti reſtituatur in ſecundâ editione. Si diverſi ſit autoris, obnixè rogo, ut tuâ cum gratiâ fideliter mihi tranſcribatur. De Arriani excerptis itidem ſcire pervelim, quis titulus, quot foliorum, quod principium, quis finis. Inde enim facilè erit diſpectu, ſintne eadem cum illis, quæ ex Regiâ Pariſienſi & Vaticanâ Bibliothecâ jampridem habui. R. P. Corderius operam ſuam in pervestigando & deſcribendo, ut ſpero, non negabit. Nollem enim meam importunitatem tibi quidquam moleſtiarum faceſſere. Reſcribe quæſo quantocius, &, quid de exoticis illis libris fieri velis, ſignifica. Vale. Romæ CIↃ IↃC XXX *prid. Kal. Septemb.*

Pariſijs Regia Biblia Plantini multò auguſtiùs ac ſplendidiùs recuduntur.

tur. Puteani fratres opus jam ad finem propemodùm perductum ſcribunt. Vnius privati hominis ſumptu editio procuratur, qui ſeorſim uno volumine integra Biblia Arabica addet, & Pentateuchum Samaritanum Samaritano charactere, hactenùs ferme Europæis incognito. Illum jam elegantiſſimum cuſum fuſumq; iidem nunciant. Nicephorus Calliſtus veſter jam abſolutus eſt duobus magnis voluminibus. Nunc Theodoreti opera Græco-latina excuduntur ſtudio & curâ P. Sirmondi, viri & doctrinâ & judicio maximi. Hæc quod ad ſtudia Tua pertinere videbantur, volebam neſcius ne eſſes.

Ampl. D. T.

obſequentiſſimus
Lucas Holſtenius.

Nota librorum editorum Romæ linguâ Arabicâ & Syriacâ.

Syriacâ Linguâ.

Officium pro defunctis Chald.
Miſſale Chaldaicum.
Breviarium Chald. pro Maronitis, opus ingens fol. --- 10 --- 0
Grammatica Georgij Amnir Chald. Latin.
Compendium Grammaticæ Chald. 12mo.
Nomenclator Chaldaico-Arab-Latin., ſed imperfectus. 4to.
Alphabetum Chald. cum aliquot Pſalmis & Orationibus.

Linguâ Arabicâ.

Avicenna Arab. fol. --- 6 --- 0
Euclides Arab. fol. --- 2 --- 0
Quatuor Evangelia cum interpretatione latinâ fol. --- 1½ ---
Pſalterium cum interpretatione lat. 4to. --- 1 ---
Catechiſmus ſive Doctrina Chriſtiana Bellarmini cum interpret. lat.
Geographia Nubienſis Arab. 4to.
Liber dictus Agiromia Arab. 4to.
Doctrina Chriſtiana major Bellarm. Arab. tantùm. 8vo.
Inſtitutiones linguæ Arabicæ P. Petri Metoſcitæ. 8vo.
Logica Arabica cum verſ. Thomæ Novarienſ. 4to.
Liber dictus Caphie Arab. 4to.
Duo Alphabeta Arabic. latin.
Officium B. Virginis Arab., ſed charactere Chald.
Profeſſio fidei pro orientalibus linguâ Arab., charactere Chald.
Calendarium Romanum Arab. charactere Chald.
Dictionarium Armeno-latinum fol. Mediol. --- 2 --- 0

Inſcri-

Inſcriptio harum literarum externa.

Nobiliſſimo & Ampliſſimo Viro, Dn. D. Tengnagelio, S. Cæſ. Majeſtatis Conſiliario & Bibliothecario, Domino meo plurimùm colendo.

Viennæ.

Hucuſq; ipſa Holſtenij Epiſtola unà cum incluſo librorum linguâ Arabicâ & Syriacâ uſq; ad an. 1630 Romæ editorum Indice. Manu autem Tengnagelij hæc in fine adſcripta leguntur:

Ioan. Bapt. Raimundi libri Arabici quorſum pervenere?

It. *Leonardi Sidonis Epiſcopi Arabica Bibliotheca?*

De libris orientalibus Georgij Strachani Scoti in Monaſterio Carmelitano Roman.

De Archiepiſcopo Damaſceno & Maronitarum libris.

De his nempe quatuor capitibus conſuluit *Tengnagelius Holſtenium* proximis ſuis literis, ut ex reſponſo Holſteniano paulò poſt videre eſt. Cæterùm, quod ad Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ *tres* manuſcriptos Codices Græcos, quorum in ſuperiori Epiſtolâ *Holſtenij* fit mentio, attinet, haud abs re futurum arbitror, ſi illuſtrandæ ejus rei causâ pauca hæc addidero.

Primus eorum Codicum, qui inter Hiſtoricos Græcos manuſcriptos *trigeſimus tertius* eſt, & inter alia multa diverſorum veterum Autorum opuſcula, etiam *Perdicæ Protonotarij Epheſini Deſcriptionem metricam ſanctorum locorum Hieroſolymitanorum* continet, chartaceus eſt in 4to, & nonnullis locis præ vetuſtate vix ampliùs legibilis. Comparavit eum olim *Augerius Busbeckius* Conſtantinopoli, ut ſuo more tàm in principio, quàm in fine ejus propriâ manu annotavit. Deſcriptio Hieroſolymorum, verſibus politicis à *Perdicâ* Protonotario Epheſino compoſita, quatuor tantùm conſtat folijs, nempè 306, 307, 308 & 309. Edidit eam ſine autoris nomine primus omnium *Federicus Morellus*, qui eam ex *Bibliothecâ Vaticanâ* per R. P. *Iacobum Sirmondum* acceperat, unà cum *Epiphanio Monacho Hagiopolitâ*, qui Syriam & Vrbem Sanctam proſâ oratione græcè deſcripſit. Secundùm verò edidit eandem illam Hieroſolymorum Deſcriptionem V. CL. *Leo Allatius* in variorum veterum & recentiorum Opuſculorum Græcorũ & Latinorũ Syntagmate, quod Σύμμικτα ſive *Miſcellanea* inſcriptũ, Coloniæ Agrippinæ typis Jodoci Kalcovij A. 1653 in 8tvo prodijt. Quamvis autem non tantùm in *Vaticano* Codice MSto, verùm etiam in altero Codice *Allatiano* nomen autoris

defue-

deſuerit, rectè tamen *Allatius* in jam memoratâ ſecundâ editione ſuâ beneficio Codicis Bibliothecæ Cæſareæ carmini anteà *ἀδεσπότῳ* verum *Perdicæ* nomen, quod ex Holſtenio cognoverat, reſtituit. Meminit ejus rei ipſe *Allatius* in Præfatione τῶν Συμμίκτων his verbis: *Sed ne Phocas noſter* (nempe Joannes Phocas, qui locorum Palæſtinæ & Syriæ compendiariam deſcriptionem proſâ oratione græcè compoſuit) *palaret ſolus, ſocios ei dedimus binos, aliàs à Morello, qui eos è Bibliothecâ Vaticanâ per Sirmondum habuerat, miſerè & infœliciter editos, Epiphanium Monachum Hagiopolitam proſâ oratione, & alium carmine politico, hæc eadem loca perſequentes. Omnia, inquam, ibi ſic ſcatent erroribus, ut multis in locis vix intelligi poſſint. Quare, ut cultiore habitu compareant, Epiphanium ad Manuſcriptum Vaticanum, unde tranſſumtus erat, reſtitui; ex quo fermè omnia, quæ ſcrupulum inijcere poterant, corriguntur. Interpretationem etiam latinam ad verba Græca interpolavi; ut non tantùm Græcè, ſed etiam Latinè, concinnior exiret. Carmina Græca ex Manuſcripto meo ſupplevi, quæ an Maximi Planudis ſint, in dubium verti poterit, quum in meo nullum autoris nomen præferant, quemadmodum & in Vaticano; quamvis in hoc, ante & poſt dicta carmina, nonnulla ſunt, quæ Planudæ nomine notantur, non alieno ac iſta carmina charactere exarata. In Codice Manuſcripto Viennenſi, quem vidit doctiſſimus & eruditiſſimus Lucas Holſtenius, hæc Carmina tribuebantur Perdiccæ Protonotario Epheſino.* Περδίκκου, Πρωτονοταρίου τῆς Ἐφέσου ἔκφρασις διὰ ςίχων περὶ τῶν ἐν Ἱεροσολύμοις κυριακῶν θεαμάτων *Perdiccæ Protonotarij Epheſini Expoſitio, carmine, ſpectaculorum Dominicorum & memorabilium, quæ Hieroſolymis videntur. Titulus non unus in omnibus eſt; alij enim legunt* περὶ θεαμάτων, *de ſpectaculis; alij* περὶ θεμάτων, *de Thematibus; alij* περὶ θαυμάτων, *de Miraculis.* θεαμάτων *tamen alijs præpoſuerim.* Hucuſq; Allatius. Cæterùm ſilentio haud prætereundum eſt, inter titulum editionis *Allatianæ* & titulum *Codicis Cæſarei* non exiguam eſſe differentiam. *Allatianæ* enim editionis titulus hic eſt: Περδίκκου Πρωτονοταρίου τῆς Ἐφέσου Ἔκφρασις περὶ τῶν ἐν Ἱεροσολύμοις κυριακῶν θεμάτων, hoc eſt: *Perdicæ Protonotarij Epheſini Expoſitio Thematum Dominicorum & memorabilium, quæ Hieroſolymis ſunt:* in Codice autem *Bibliothecæ Cæſareæ* titulus ejuſdem opuſculi ita ſe habet: Ἔκφρασις διὰ ςίχων πρωτονοταρίου τῆς Ἐφέσου τοῦ Περδίκκου περὶ τῶν ἐν Ἱεροσολύμοις κυριακῶν θαυμάτων καὶ θεαμάτων, hoc eſt, ut ego interpretor. *Perdicæ Protonotarij Epheſini Deſcriptio metrica admirandarũ Antiquitatũ Dominicarũ, quæ viſuntur Hieroſolymis.*

lymis. Hæc itaq; eſt vera & genuina hujus tituli lectio, ut ipſe *Perdicas* ſatis clarè innuit. Per θάυματα enim hîc ſignificantur partim θάυματα ſive *miracula ſtrictè dicta*, nempe τὰ παρὰ φύσιν, partim verò quæcunque θαυμαςὰ ſive θαμάσια, hoc eſt, *admiranda* ſive *admiratione digna*, quemadmodũ ex ſubjunctis locis videre eſt:

1.

Καὶ πρὸ τῆς θύρας κυλισθεὶς ὁ παράγγελυ λίθος,
Ἐξ ὧν πηγάζει θάυματα πᾶσι πιςοῖς ἀφθόνως.

2.

Καὶ ταῦτα μὲν τὰ θαυμαςὰ τῆς πόλεως τὰ ἔνδον.

3

Ἔγγιςα τούτου καὶ σορὸς ὁσίας Πελαγίας,
Πρὸς πάντα προσερχόμενον θαῦμα ποιοῦσα μέγα.

4.

Καὶ τούτῳ θαυματοποιεῖν δόξαν τῇ παντανάσσῃ.

5.

Ἡ θαυμασία καὶ λαμπρὰ λαύρα Θεοδοσίου

6.

Ὁ παλαιὸς καὶ θαυμαςὸς ναὸς Σιὼν ἁγίας,

7.

Ἐν τούτῳ δὲ τετέλεςο ναῷ τῷ θαυμασίῳ

8

Ἕτερον θρόνον εἴδομεν τὴν Φάτνην τὴν ἁγίαν.
Τὰ θάυματα πηγάζοντα πᾶσι πιςοῖς ἀφθόνως

9.

Ἐξαίσια τὰ θαύματα ποταμηδὸν ἐκχέειν.

Similiter minimè dubium eſt, quin in eodẽ titulo θεάματα, non verò θέματα legendum ſit. Hoc enim ipſe *Perdicas* ſtatim in principio indicat his verſibus:

Ἐπείπερ πολυέραςον, οἶδα, τυγχάνει πᾶσι,
Τὴν τῆς Σιὼν διήγησιν τοῖς μὴ θεασαμένοις
Ὡς αὐτοψί τεθέακα, οὕτως αὐτὸς ἐκφράσω.

θεάματα nempe hîc ſunt *res ſpectatu dignæ*, æquè ut in illo *Georgij Codini mei* titulo περὶ ἀγαλμάτων, ςηλῶν καὶ θεαμάτων τῆς Κωνςαντινουπόλεως; quem ita verti: *De ſignis, ſtatuis & alijs ſpectatu dignis Conſtantinopoli.* Sic etiam *Philo Byzantinus* ſcripſit περὶ τῶν ἑπὰ θεαμάτων τοῦ κόσμου, h. e., interprete Vitruvio, *de ſeptem Orbis ſpectaculis.*

lis. Quod denique ad vocem θέμα attinet, de varijs ejus ſignificationibus conſulendæ ſunt *Bonaventuræ Vulcanij* & *Federici Morelli* Notæ ad *Imp. Conſtantini Porphyrogeniti* libros duos περὶ θεμάτων; nec non *Gloſſarium Græcobarbarum Joannis Meurſij*: ubi tamen notandum eſt, ipſum rectè quidem ſcribere, quòd primitùs *legiones* tantùm, quæ provincijs impoſitæ eſſent, poſteà verò ipſæ etiam integræ *provinciæ* θέματα appellatæ fuerint; ſed erroneum eſſe, quod paulo pòſt ibidem ſubjungit, *ædificia quoq; & menſas tripodes in templis ararum vicem obtinentes, & ſtatuas* θέματα vocatas fuiſſe. Tria enim illa loca, quæ ad hoc probandū ex *Georgij Codini* Excerptis de Originibus Conſtantinopolitanis citat, ſine ullâ controverſiâ corrupta ſunt, & θέαμα pro θέμα, θεαμάτιον pro θεμάτιον, & θεαμάτια pro θεμάτια legendum eſt, ut jam pridem in *Animadverſionibus meis in Georgij Codini & alterius cujuſdā Anonymi Excerpta de Antiquitatibus Conſtantinopolitanis*, non tantùm veterum Codicum Manuſcriptorum auctoritate, verùm etiam evidentiſſimis rationibus abundè demonſtravi.

· *Secundus* eorum Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ Codicum manuſcriptorum, quorum *Holſtenius* ſuperiori Epiſtolâ meminit, *ſexageſimus octavus* eſt inter Philoſophicos & Philologicos Græcos MStos, & inter alia multa diverſorum veterum Autorum opuſcula, etiam *Excerpta quædam ex Arriani Deſcriptione Ponti Euxini* continet. Eſt autem chartaceus in 4to, & tam in principio, quàm in fine inſignitus ſolenni illâ Busbeckianæ manus inſcriptione: *Augerius de Busbecke comparavit Conſtantinopoli.* Initium *Excerptorum* deſcriptionis Ponti Euxini, quæ unico tantùm conſtant folio ſexto, hoc eſt: Αὐτοκράτορι Καίσαρι Τραϊανῷ Ἀδριανῷ σεβαστῷ Ἀῤῥιανός. Κατὰ τὸν θράκιον βόσπορον καὶ τὸ στόμα τοῦ Εὐξείνου πόντου ἐν τοῖς δεξιοῖς τῆς Ἀσίας μέρεσιν, ἅ πόλεις εἰσὶ τοῦ βιθυνῶν ἔθνους, κεῖται χωρίον λεγόμενον Ἱερὸν, ἐν ᾧ ναός ἐστι Διὸς Οὐρίου οὕτω προσαγορευομένου. τοῦτο δὲ τὸ χωρίον ἀφετήριόν ἐστι τοῖς εἰς τὸν πόντον πλέουσι. τοῖς πλεύσασι δὲ εἰς τὸν πόντον δεξιᾷ εἰς τὴν Ἀσίαν, τὸ λεγόμενον μέρος τοῦ βιθυνῶν ἔθνους, τὸ πρὸς τὸν πόντον κείμενον, ὃ περιπλέουσι, οὕτως ἔχει. τὸ Ἱερὸν τοῦ Διὸς Οὐρίου ἀπέχει ἀπὸ τοῦ Βυζαντίου στάδια ρκ. Notandum autem eſt, totum hunc locum à verbis κατὰ τὸν θράκιον βόσπορον uſq; ad illa, τὸ Ἱερὸν τοῦ Διὸς Οὐρίου &c. in editione Baſileenſi A. 1533 typ. Froben. in 4to deeſſe. Legitur enim ibi hoc modo: Τὰ δὲ ἀπὸ βοσπόρου τοῦ θρακίου, ἔς τε ἐπὶ τραπε-

πεζοῦντα πόλιν, ὧδε ἔχει. τὸ Ἱερὸν τοῦ Διὸς τοῦ Οὐρίου διέχει ἀπὸ Βυζαντίου σταδίους εἴκοσι καὶ ἑκατόν. Supplendus itaq; eſt hic locus ex jam memoratis *Excerptis Codicis Cæſarei,* & inter verba *ὧδε ἔχει* uſq; ad verba *τὸ Ἱερὸν* inſerenda ſunt hæc omnia *κατὰ τὸν Θράκιον βόσπορον &c.* uſq; ad verba *οὕτως ἔχει.* Quicquid nempe inter *ὧδε ἔχει* & *οὕτως ἔχει* fuit in medio, incuriâ librarij omiſſum eſt; cujuſmodi errores etiam à Typographis propter ſimilitudinem verborum ſæpè ſolent committi. Plura in præſens de *Excerptis* illis non addo, quia non tantùm exemplar *Arriani* Græco-latinum, à Joan: Guilielmo Stuckio Genevæ apud Euſtathium Vignon A. 1577 in fol. editum, verùm etiam nonnulla alia, quæ ad tractationem hujus argumenti neceſſariò requiruntur, necdum mihi ad manum ſunt.

Tertius eorum Codicum, quorum *Holſtenius* ſuperiori Epiſtolâ meminit, *primus* eſt inter Hiſtoricos Græcos MStos, & complectitur *Nicephori Calliſti octodecim priores libros Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, elegantiſſimo charactere in membranâ exaratos eâ formâ, quam vulgò in folio nuncupant. Ex hoc Codice, qui unicus fortè in orbe terrarum eſt, prodijt *Joannis Langi verſio latina* Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Nicephori, ut ipſe Langus teſtatur in Præfatione ad Imp. Ferdinandum I. his verbis: *Ipſe quidem, ſingulari providentiæ Divinæ beneficio, hoſce Nicephori libros, Græco ſermone compoſitos, elegantiſſiméq; manu deſcriptos, temporibus noſtris reſervatos, ad nos perveniſſe arbitror. Declarat hoc ſatis rei eventus. Quũ namq; ante annos multos ex Budenſi Regiâ Bibliothecâ, quam Matthias Corvinus, Pannonum Rex, pulcherrimam, Græcis & Latinis libris refertam, inſtituit, ſurreptus, diu in privati hominis bonis fuiſſet: & poſteà per milites Turcicos in miſerabili caſu & direptione Pannoniæ, inter reliquam prædam Conſtantinopolim deportatus, in foro ibi ſcrutario væniſſet, perquàm commodè accidit, ut à Chriſtiano, eodemq; ſtudioſo homine emptus, poſtliminio in eandem Pannoniam ſit reverſus. Ubi tandem in dominium præclari & eruditi Viri, Georgij Logi Juriſconſulti, Vratiſlavienſium S. Crucis & Divi Joannis Eccleſiarum Præpoſiti & Canonici, Majeſtatis Tuæ* (videlicet Imp. Ferdinandi I) *Conſiliarij, conceſſit: unde nobis, Majeſtate Tuâ jubente, ejus Latinè vertendi poteſtas eſt facta.* Hæc Langus. Ex eodem illo Codice MSto prodijt quoque R. P. *Frontonis Ducæi* & *Cramoſiorum fratrum Sebaſtiani & Gabrïelis* editio Pariſina Græco-latina A. 1630 duobus Voluminibus in fol., ut ex ipſâ editionis iſtius præfatione ad Eminentiſſ. Cardinalem Richelium

lium videre eſt, ubi câ de re hæc leguntur verba: *Nicephori Calliſti aliquando tenemus hiſtoriam, Illuſtriſsime Cardinalis, qui nunc poſt longam periculoſamq; jactationem, in ſinu tuæ purpuræ, tanquam in portu placidiſſimo, ſi pateris, conquieſcet. Heu quibus ille jactatus fatis. Apud Matthiam Corvinum quondam in pretio habitus in poteſtatem poſteà venit barbarorum: & Turcis Pannoniam invadentibus, vix unius militis fuit præda. Servatus eſt autem, non hiſtoriæ, nec rerum quas continebat merito, ſed quâdam elegantiâ characteris, cujus etiam beneficio Conſtantinopoli vænijt inter delicatorum ſupellectilem, quaſi cultius aliquod mancipium. Emptorem autem invenit eum, qui publicis invidens commodis, ſuum feciſſe videbatur, ne eſſet aliorum. Sed tandem ab injuſto Domino in Famultam Imperatoris tranſijt, ac poſtliminio reſtitutus eò eſt, unde fuerat ablatus: autor ſiquidem ipſe Nicephorus ſuum Imperatore dignum munus judicaverat, & Palæologis, uti ſuſpicio eſt, hiſtoriam conſecrarat. Joannes Langus, vir de republicâ literariâ optimè meritus, eum primus è Bibliotheca vinculis exſolvit, ac Latio donavit; quo ſibi nomine etſi obſtrinxit univerſos, non tamen effecit, ut ipſum è vultu Nicephorum noſſe non cuperent ij, quibus antiquitatis ſtudium, & Græcæ facundiæ dignitas eſſet in pretio. Præter cæteros autem Jacobi Thuani in Senatu Pariſienſi Præſidis, & inter egregiè doctos facilè principis, in hanc curam animus exarſit, pugnavitq; omni, quâ valebat, gratiâ, & perfecit, ut è Bibliothecâ Imperatoris exemplar ipſum Græcum nobis liceret exſcribere, quod accuratè præſtitimus.* Hucuſque Cramoſij fratres. Quandoquidem autem beneficio potiſſimùm V. CL. *Sebaſtiani Tengnagelij*, S. Cæſ. Majeſtatis Conſiliarij & Bibliothecarij, pretioſiſſimus ille *Nicephori Calliſti* Codex Lutetiam tunc fuit miſſus, uberior ejus rei notitia percipi poteſt ex Viri Illuſtriſſimi *Jacobi Auguſti Thuani*, nec non RR. PP. *Frontonis Ducæi* & *Jacobi Sirmondi* ad ipſum eâ de causâ miſſis literis, quas paulo inferiùs *Additamento quarto* integras inſeram. Nunc enim redeundum eſt ad *Holſtenij* cum *Tengnagelio* amicitiâ, cujus præter ſuperiores *duas* literas *tertium* ecce ſequitur indicium

EPISTOLA TERTIA.

Nobiliſſimo & Ampliſſimo Dn. Sebaſtiano Tengnagelio I. V. D., S. Cæſ. Maj. Conſiliario & Bibliothecario, Lucas Holſtenius

χαίρειν καὶ εὐπράττειν.

SI tardiùs humaniſſimis tuis reſpondeam, facilem mihi veniam, ut ſpero, abs te impetrabunt literæ, quas ipſa mora uberiores fecit.

cit. Nam cùm diffiderem me deſiderio tuo ſatisfacere poſſe, quo de Orientalium hîc in Vrbe literis librisq́; cognoſcere aves, amicorum operam advocavi in ijs, quæ de meo præſtare non poteram: atq́; hîc quidem Victorius Accorenſis, vetus, ut ait, amicus tuus lubens occaſionem arripuit, ut & meæ voluntati morem gereret, & priſtinæ amicitiæ memoriam apud te renovaret. Ille, ut promiſit, & privátim de ſuis, & de publicis Maronitarum ſtudijs coposè exponet: quamvis homo πολυπράγμων & περιεργότερος ea ſtudia, ex quibus res literaria commodum maximum, ipſe autem famam inſignem conſequi potuiſſet, cum tricis - - - - - -, hoc eſt, præſentiſſimâ bonorum ingeniorum peſte, penitùs commutare videatur. Quod indicandum tibi exiſtimavi, non ut doctrinam vel officium ejus Viri apud te elevarem, ſed ut ingenium ipſius te non lateat, ſi quid fortè ἄμουσον literis admixtum videris. Damaſcenus Archiepiſcopus jam annum integrum pedem domo non extulit, ita ſenio morboq́; confectus, lecto affixus hæret, ut nihil in hoc ſtudiorum genere ampliùs ab ipſo expectari poſſit. Reinardi mathematici Bibliothecam Arabicam Vaticana abſorpſit, ut ex Victorio Maronitâ intellexi; nec facilè lucem hanc aſpicient tot præclara volumina, tanto cum labore ac ſumptu collecta. Sed ecce tibi alium theſaurum multò locupletiſſimum in Europam noſtram allatum à Golio mathematico Leidenſi. Catalogum tibi mitto diligenter transſcriptum ex edito exemplari, cujus copiam mihi amicus ad paucas horas fecerat. Nihil enim ſuavius tibi dulciusvè offerri poſſe exiſtimavi, poſtquam ſemel novi palatum tuum. Eſt ſanè quod orbi Chriſtiano gratulemur de tàm pretioſo ἑρμαίῳ Turcarum manibus erepto; id verò potiſſimùm, incidiſſe in illorum manus, qui nihil publico invident, & qui ex iſto theſauro evulgando laudis materiam quærunt. Tu, niſi grave fuerit, ijs legendum offeres, quos hujuſmodi cupedijs delectari non ignoras, Sgambato, Corderio & ſimilibus, & ſimilia à me expectes velim, ubi nanciſcendi copia fuerit. Nunc ſummoperè te oro, & per humanitatem tuam obteſtor, ut ex Samaritano tuo Pentateucho duos tresve priores & poſteriores verſus ijſdem literis ac characteribus, quantum fieri poterit, deſcriptos ad me mittas. Id enim unicè à me petijt Vir doctrinæ ac dignitatis præcipuæ in Gallijs, qui Catalogum iſthinc ad nos miſit librorum Leidenſium, & cui ſtudia ac fortunæ meæ plus quàm ulli mortalium debent. Ego quibus potero officijs pro eo beneficio gratiam referre ſtudebo, & doctrinæ atq́; humanitatis tuæ opinio ex meis literis concepta, plurimùm confirmabitur apud Virum Muſis adjuvandis natum, & qui tui causâ velit ac præſtet omnia. Is eſt Do-

minus

minus de Peireſc, Senator AquiSextienſis & Regius Conſiliarius, Vir & meâ prædicatione, & humanâ fide major. De Perdicca gratias ago, & publicè beneficium prædicabo, ubi id opuſculum ſub vero auctoris nomine in lucem prodibit. Vale, Vir Ampliſſime, & me ama tui obſervantiſſimum. Romæ CIϽ IϽC XXXI. *d.* XI *Ianuarij.* Hucuſq; ipſa epiſtola. Corollarij autem loco adjuncti eidem ſunt librorum ab *Holſtenio* edèndorum Catalogi duo, quorum exemplum optimâ fide hîc exhibeo.

Homiliæ SS. Patrum, quas Lucas Holſtenius edere conſtituit.

Hippolyti Epiſcopi in S. Theophania;
- - - - - - *contra hæreſin Noëti;*
- - - - - - *de Incarnatione fragmenta quædam.*
Methodij in occurſum Chriſti & Symeonis;
- - - - - - *in ramos Palmarum;*
- - - - - - *de libero arbitrio;*
- - - - - - *convivium decem Virginum.*
Titi Boſtrenſis in ramos Palmarum;
- - - - - - *de parabola Iudicis iniqui.*
Antipatri Boſtrenſis in S. Theophania;
- - - - - - *in annunciationem B. Virginis;*
- - - - - - *in natalem S. Ioannis Baptiſtæ.*
Eulogij Alexandrini in ramos Palmarum.
Amphilochij Iconienſis in natalem Chriſti;
- - - - - - *in Lazarum quatriduanum;*
- - - - - - *in mulierem ungentem Dominum;*
- - - - - - *in S. Sabbatum.*
Amphilochij Iconienſis cohortatio ad virtutes;
- - - - - - - *de lachrymis & regno Dei;*
- - - - - - - *in arbores infrugiferas.*
Aſterij Amaſeni in cœcum à nativitate;
- - - - *in SS. Martyres;*
- - - - *in Phocam Martyrem;*
- - - - *in Danielem & Suſannam.*
Nectarij Patriarchæ Conſtantinop.
Severiani Gabalenſis de creatione mundi homiliæ VI;
- - - - - - *in nativitatem Chriſti;*
- - - - - - *in Paraſceven.*
Procli Patriarchæ Conſtantinop. in Nativitatem Chriſti homiliæ II;
- - - - - - *in S. Theophaniâ;*

in

- - - - - - *in Transfigurationem Chriſti;*
- - - - - - *in reſuſcitationem Lazari;*
- - - - - - *in ramos Palmarum;*
- - - - - - *in Paſcha homiliæ* IV;
- - - - - - *in S. Andream Apoſtolum;*
- - - - - - *in S. Stephanum Protomartyrem.*

Diadochi Photicæ in Aſſumptionem Chriſti.

Georgij Antiocheni in illud, Hic eſt filius meus dilectus;
- - - - - *de mulieribus unguẽta ferentibus ad ſepulchrũ Chriſti;*
- - - - - *in Spiritum Sanctum.*

Heſychij Hieroſolymitani de reſurrectione Chriſti;
- - - - - - *in S. Andream.*

Sophronij Patriarchæ Hieroſolymitani in natalem Chriſti;
- - - - - - - - *in occurſum Chriſti & Simeonis;*
- - - - - - - - *in SS. Angelos;*
- - - - - - - - *in S. Joannem Baptiſtam;*
- - - - - - - - *in SS. Apoſtolos Petrum & Paulum.*

Leontij Cyprij in mediam Pentecoſten;
- - - - *contra Hebræos*

Leontij Presbyteri Conſtantinop. in Ramos & Lazarum;
- - - - - - *in S. Paſcha;*
- - - - - - *in reſurrectionem Domini;*
- - - - - - *in mediam Pentecoſten;*
- - - - - - *in Aſſumptionem Domini;*
- - - - - - *in S. Joannem Baptiſtam.*

Pantaleonis Diaconi in transfigurationem Domini;
- - - - - *in S. Michaelem Archangelum.*

Leontij Conſtantinop. de eo, qui incidit in latrones;
- - - - - *de muliere Samaritanâ.*

Euſebij Alexandrini in Paſſionem Chriſti;
- - - - - *in ſecundum adventum Chriſti:*
- - - - - *dominicâ poſt dimiſſam concionem;*
- - - - - *de meomriâ Sanctorum.*

Joannis Theſſalonicenſis de conſenſu Evangeliſtarum circa reſurrectionem Domini.

Euſebij Pamphili in illud, Mane unius Sabbatorum;
- - - - - *de Angelis ad Sepulchrum.*

Theodori monachi in annunciationem B. Virginis;
- - - - - *in obdormitionem B. M. Virginis homiliæ* III;
- - - - - *in Circumciſionem Domini;*

--*in*

- - - - *in Transfigurationem Domini;*
- - - - *in Lazarum quatriduanum;*
- - - - *in feſtum Palmarum;*
- - - - *in vitam humanam;*
- - - - *in decollationem S. Joannis Baptiſtæ;*
- - - - *in Titum Apoſtolum;*
- - - - *in S. Nicolaum;*
- - - - *in S. Georgium Martyrem.*

Nicephori Blemmydæ in S. Joannem Theologum.
Arſenij Corcyræi in S. Andream.
Joannis Eubæenſis in conceptionem B. Virginis.

Syntagma Geographorum Græcorum edendorum ab Holſtenio.

Pſelli de terræ ſitu, figurâ & magnitudine opuſculum.
Anonymus de terrâ deſcribendâ in globo.
Iſacus Argyrus de terrâ deſcribendâ in plano.
Agathemeri Orthonis Hypotypoſis Geographiæ.
Incerti Autoris compendium Geographiæ.
Marciani Heracleotæ de ambitu Orbis terrarum libri II.
Artemidori Epheſij Epitomes fragmentum.
Hannonis circumnavigatio Africæ.
Scylacis Caryandeni deſcriptio maris interni.
Scymni Chij de ſitu Orbis poëma.
Dicæarchi deſcriptio Græciæ.
Dionyſij Byzantij deſcriptio Boſphori Thracij.
Petri Gyllij Commentariorum de Boſphoro libri III. *ad Dionyſ: Byzant.*
Arriani deſcriptio Ponti Euxini.
Anonymi deſcriptio Ponti, collecta ex Scymno, Arriano & Marciano.
Arriani, vel potiùs Incerti, circumnavigatio maris Erythræi.
Iſidori Characeni manſiones Parthicæ.
Palladius de Indis & Brachmanis.
Strabonis Epitome.
Gemiſti Plethonis emendatio aliquot errorum Strabonis;
- - - - *deſcriptio Græciæ excerpta ex Strabone;*
- - - - *deſcriptio Peloponneſi.*

Varia Excerpta Geographica collecta ex varijs MSStis.

Altera Pars Syntagmatis Geographici de Urbe atque Imperio Conſtantinopolitano.

Heſychij V. Ill. Origines Conſtantinopolitanæ.
Codini Origines & Antiquitates Conſtantinopolitanæ.
Anonymi Excerpta de Antiquitatibus Conſtantinopolitanis.
Pauli Silentiarij deſcriptio templi S. Sophiæ.
- - - - deſcriptio ambitus ejuſdem templi.
Petri Gyllij deſcriptio Urbis Conſtantinopolitanæ:
De regionibus Urbis Conſtantinopolitanæ libellus.
Emanuelis Chryſoloræ comparatio Veteris & Novæ Romæ.
Conſtantini Porphyrogeniti Thematũ Imperij Conſtantinop. libri II.
Hieroclis Grammatici notitia Provinciarum Imperij Orientalis.
Notitia Epiſcopatuum Sedis Conſtantinopolitanæ & Provinciarum Imperij CPni per Orientem & Occidentem, facta ſub Leone Imp. & Photio Patriarchâ CPno.
Notitia Epiſcopatuum ſedis Antiochenæ & Hieroſolymitanæ.

Appendix.

Philonis Sophiſtæ de ſeptem miraculis Mundi.
Sotionis excerpta de miraculis aquarum.
Pauli Silentiarij carmen de miraculis aquarum
Anonymus de incremento Nili.

Seorſim edendi.

Stephanus de Urbibus.
Dionyſius de ſitu Orbis.
Geographia Sacra Euſebij, Hieronymi, Eucherij & aliorum.

Huc uſque duo illi Indices librorum, quos *Avunculus meus Lucas Holſtenius* olim edere conſtituerat. Quod porrò attinet ad *Tengnagelij Pentateuchum Samaritanum*, cujus in proximè ſuperiori Epiſtola ſit mentio, anxiè quidem illum, & quàm potui maximâ diligentiâ in *Auguſtiſſimâ Bibliothecâ Cæſareâ* quæſivi, ſed fruſtrà, ideóque valdè vereor, ne pro *Samaritano* ſit intelligendus *alius*, qui etiã nunc inter libros *Tengnagelianos* extat, rariſſimæ notæ *Pentateuchus*; nempe *Hebraicus*, qui præter *Onkeloſi Chaldaicam Paraphraſin* & *commentarium R. Salomonis Jarchi*, verſionem quoque continet *Arabicam R. Saadiæ Gaon*, & *Perſicam R. Jacobi Tavath*. Excuſus is eſt *Conſtantinopoli* in folio anno Mundi ſecundũ vulgarẽ Judæorũ ſupputationem 5306, cujus initium reſpondet autumno anni Æræ Chriſtianæ 1545. In frontiſpicio hujus Pentateuchi manu Tengnagelij hæc leguntur ſcripta: *Codex rarus, pretioſus, & paucis Iudæorum Occidentalium viſus: emptus tredecim Ducatis ſive quadraginta florenis cum dimidio.* AD-

ADDITAMENTUM III

De Origine Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, pertinens ad præcedentis Epiſtolæ Segmentum (1) trigeſimum quartum & ſexageſimum ſecundum.

(1) Vid. ſuprà pag. 31. & 73.

V. CL. *Gabriel Naudæus Pariſinus*, Eminentiſſimi Cardinalis *Mazarini*, & Sereniſſimæ Suecorum Reginæ *Chriſtinæ* olim *Bibliothecarius*, cujus celeberrimum nomen cùm propter ſummam ejus eruditionem, tùm propter ſingularem amicitiam, quæ mihi cum eo interceſſit, etiam nunc plurimùm colo & veneror, inter cætera excellentiſſimi ingenij ſui præclara monumenta, duos etiã reliquit egregios libros *de inſtituendâ Bibliothecâ, & de inſignioribus omnium ſeculorum Bibliothecis publicis & privatis*, gallicè ſcriptos, quorum tituli:

Advis pour dreſſer une Bibliotheque par Gabriel Naudé. Paris chez Robert le Duc A. 1644. in 8vo.

Traicté de plus belles Bibliotheques publiques & particulieres, qui ont eſté, & qui ſont àpreſent dans le Monde. Paris A. 1644. chez Robert le Duc.

Horum poſterioris capite 56, quod inſcribitur *de Germaniâ*, mentionem quoque facit *Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ* his verbis: *Vienne eſt la Ville capitale de l'Auſtriche, & le ſejour ordinaire des Empereurs de l'Occident, auſſi bien que des Muſes; puis qu'il y à une celebre Vniverſité & une tres exquiſe Bibliotheque, ſcavoir l'Imperiale, qui à eu ſon commencement par l'Empereur Federic II, le quel n'epargna aucune deſpence pour l'enrichir, non ſeulement en liures imprimez, mais auſſi en pluſieurs Manuſcrits Grecs, Hebreux, & Latins; le Catalogue des quels à eſté imprimé à Zurick en Suiſſe. Cette Bibliotheque à eſté fort augmenteé par Iean Sambucus Medicin & Hiſtoriographe de l'Empereur, qui poſſedoit en ſon particulier une belle Bibliotheque, de laquale ont eſté tirez pluſieurs Manuſcripts, qui ont ſervis d'originaux aux impreſſions. Le Pere Anthoine Poſſevin à donné le Catalogue des Manuſcrits Grecs, qui ſont dans cette Bibliotheque Imperiale à la fin du ſecond Tome de l'Apparat ſacre. Tengnagelius à eu la charge de cette Bibliotheque.* Hoc eſt: *Vindobona Metropolis eſt Auſtriæ, nec Imperatorum Occidentalium duntaxat, ſed & Muſarum ſedes ordinaria; utpote cùm & Academia ibi ſit percelebris, & Bibliotheca exquiſitiſſima, nempe Cæſarea, quam inſtituit Imp. Fridericus II, nullis parcens ſumptibus, quin non ſolùm libris impreſſis quàm maximè*

ditaretur, verùm etiam compluribus Codicibus manuſcriptis Græcis, Hebraicis & Latinis; quorum Catalogus Tiguri Helvetiorum impreſſus eſt. Plurimùm etiam Bibliotheca hæc aucta fuit per Ioannem Sambucum, S. Caſ. Majeſtatis Archiatrum & Hiſtoriographum, qui egregiam habuit Bibliothecam privatam, ex quâ deprompti fuerunt varij Codices manuſcripti, qui impreſſioni Typographicæ ſervierunt pro autographis. Græcorum manuſcriptorum, qui in hac Bibliothecâ Cæſareâ extant, Catalogum edidit R. P. Antonius Poſſevinus in fine ſecundi Tomi Apparatûs Sacri. Præfuit huic Bibliothecæ etiam Tengnagelius. Hæc de Bibliothecâ Cæſareâ Vindobonenſi Naudæus. Quibus illuſtrandis hæc neceſſariò addenda eſſe cenſeo.

I. Quamvis tàm in ipſo contextu jam citati loci, quàm in margine legatur, *Bibliothecam Cæſaream Vindobonenſem* ab Imp. *Friderico II* ſive *Secundo* fuiſſe inſtitutam, minimè tamen dubium eſt, quin mendum hoc ſit Typographicum, & pro *Friderico II* legendum ſit *Friderico III* ſive *Tertio*. Hoc enim ipſe *Naudæus* ſatis clarè teſtatur, dum addit, Imperatorem illum *Fridericum*, qui primus Bibliothecæ Cæſareæ fundamenta jecerit, nullis peperciſſe ſumptibus, quin ea *libris impreſſis* quàm maximè ditaretur. Intelligi quippe hæc non poſſunt de Imp. *Friderico Secundo*, utpotè cùm is A.C. 1250 obierit; *Typographia* autem in Germaniâ inventa fuit circa annum 1440, quo eodem anno Imp. *Fridericus*, qui reverà *Quintus* ejus nominis eſt, ſed vulgò *Tertius* appellatur, cœpit imperare. Huic igitur Imp. *Friderico III* non autē Imp. *Friderico II* Naudæus fundationem Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis attribuit, ideòq; ſuprà citatus locus ſecundùm ipſius mentem eâ ratione corrigendus eſt. Cæterùm quamvis non negem, Imp. *Fridericum III* Majorum ſuorum manuſcriptam ſupellectilem librariam operâ potiſſimùm *Æneæ Sylvij* & *Georgij Purbachij* curâſſe colligi, & ſtudioſiùs, quàm anteà factum fuerat, adſervari, eandemq; non tantùm *Codicibus manuſcriptis*, verùm etiam primis ſub Imperio ſuo *impreſſis libris* non mediocriter auxiſſe, attamen Imp. *Maximiliano I* potiùs, quàm Patri *Friderico*, gloria fundationis *Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis* attribuenda eſt; quoniam is primus omnium certam illi ſedem *Vindobonæ* aſſignavit, & ex *privatâ* ſive *cubiculari* fecit *publicam*. Contigit hoc circa A.C. 1495, ut præcedentis Epiſtolæ meæ Segmento XXXIV, pag. 31, pluribus expoſui.

II. Catalogum Codicum Manuſcriptorum Auguſtiſſimæ Bibliothecæ

thecæ Cæſareæ Vindobonenſis, *Tiguri* impreſſum, alium hactenùs non vidi, quàm eum, qui Bibliothecæ Geſnerianæ, à *Ioanne Iacobo Friſio* auctæ, & *Tiguri* A. 1583 in folio excuſæ, ſecundum Alphabeti ſeriem ſparſim inſertus eſt. An verò eorundem Manuſcriptorum Codicum *Catalogus*, quem, uti præcedentis Epiſtolæ meæ Segmento XLIV videre eſt, *Hugo Blotius*, S. Cæſ. Majeſtatis Bibliothecarius cum *Ioanne Iacobo Friſio* communicaverat, *ſeorsùm* quoq; *Tiguri* impreſſus fuerit, hoc mihi licet diligentiſſimè inveſtigaverim, uſque huc incognitum eſt.

III. Catalogus Manuſcriptorum Codicum Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ à R. P. *Antonio Poſſevino* editus, non extat, ut ſuprà citato *Naudæi* loco mendoſè legitur in fine *ſecundi* Tomi Apparatus Sacri, ſed in fine *tertij*: nec promiſcuè *cujuſcunq; generis* Codices manuſcriptos Græcos continet, ſed tantùm *Sacros*; & *ne eos quidem omnes*, ſed vix *centeſimam* eorum partem, ut res ipſa indicabit, cùm *integer* eorundem *Index*, quem jam adorno, & intra paucos annos, volente Deo, editurus ſum, in lucem prodierit. Interea facere non poſſum, quin jam nunc in anteceſſum, paucâ præmittam, quæ emendandi illius Catalogi causâ neceſſariò monenda ſunt.

Literâ E hæc leguntur:

Ephræm varia Opera Theologica. Addita vitæ Patrum ex Metaphraſte, cum Damaſceno de veneratione Sanctorum.

Ephræm varia Opera Theologica nonnulla; junctis Chryſoſtomi Orationibus in nuntium Gabrielem & Lazarum.

Ephræm de temperantiâ, virtutibus, de moribus & futuro Iudicio. Homiliæ ſacræ de varijs Religionis capitibus, de dilectione & pænitentiâ, & Sermo ψυχοφελὴς *de Antichriſto.*

Ubi notandum eſt, triplicem hunc *Ephræmum*, unum atque eundem eſſe, & pro *Piſyri* legendum eſſe *Syri*. Natus fuit hic *Ephræm* ſive *Ephraim Niſibi* in Meſopotamiâ; *Edeſſæ* autẽ, quæ ejuſdem regionis Urbs eſt, fuit *Diaconus*, variaq; ſublimis ingenij opera *Syro ſermone* compoſuit. Qua de re præter *S. Gregorium Nyſſenum* in vitâ S. Ephræmi, *Sozomenum* Hiſtor. Eccl. lib. 3 cap. 15, *S. Hieronymum* de Script. Eccleſiaſt. cap. 115, & præter complures alios antiquos autores conſulendi quoque ſunt ex recentioribus Eminent. Card. *Bellarminus* lib. de Script. Eccl., *Aubertus Miræus* in Scholijs ad S. Hieronymum, R. P. *Philippus Labbe* in Diſſertatione Hiſtoricâ de Script. Eccleſ., & *Gerardus Voſſius*, Præpoſitus Tungrenſis in epiſtolâ dedicatoriâ Latinæ editionis omniũ Operum *S. Ephræmi* in fol.,

quam Romæ A. 1589 typis Jacobi Tornerij emiſit in publicum: Quod porrò ad opera S. Ephræmi *manuſcripta*, quæ in *Auguſtiſſimâ Bibliothecâ Cæſareâ* uſque ad hunc diem reperi, attinet, ea continentur *undecim* diverſis codicibus.

Horum *Primus*, membranaceus in folio majori, & antiquiſſimus pariter ac elegantiſſimus, inter Theologicos Græcos MStos eſt *decimus octavus*, & à *Busbeckio* olim fuit comparatus *Conſtantinopoli*. Conſulendus is eſt à folio 212 uſq; ad fol. 218 & à fol. 299 uſq; ad fol 304.

Secundus, itidem membranaceus in folio majori, & æquè ac præcedens vetuſtus & elegans, inter Theologicos Græcos MStos eſt *vigeſimus ſextus*, & olim fuit *Ioannis Sambuci*. Conſulendus is eſt à folio 12 uſq; ad fol. 20, & à fol. 47 uſq; ad fol. 55.

Tertius, chartaceus in 4to, & vetuſtate ruinoſus, inter Theologicos Græcos MStos eſt *quadrageſimus nonus*. Conſulendus is eſt à pag. 11 uſq; ad pag. 24, & à paginâ 68 uſque ad pag. 199.

Quartus, itidem chartaceus in 4to, & æquè ac præcedens antiquus, inter Theologicos Græcos MStos eſt *octogeſimus primus*, & olim fuit *Ioannis Sambuci*. Conſulendus is eſt à folio 8 uſq; ad fol. 15, à fol. 172 uſque ad fol. 181, à fol. 201 uſque ad fol. 222, & à fol. 240 uſque ad fol. 245.

Quintus, itidem chartaceus in 4to, inter Theologicos Græcos MStos eſt *octogeſimus ſecundus*, & à *Busbeckio* olim comparatus fuit *Conſtantinopoli*. Conſulendus is eſt fol. 186.

Sextus, chartaceus in folio, inter Theologicos Græcos MStos eſt *nonageſimus ſeptimus*, & olim fuit *Ioannis Sambuci*. Conſulendus is à folio 249 uſque ad fol. 458.

Septimus, membranaceus in 4to, & præ vetuſtate multis locis vix ampliùs legibilis, inter Theologicos Græcos MStos eſt *centeſimus octogeſimus ſecundus*, & olim fuit *Ioannis Sambuci*. Is inde à principio ſive folio 1 uſque ad finem ſive fol. 279 nil niſi varias *S. Ephræmi* homilias aliaq; ejuſdem opuſcula complectitur.

Octavus, itidem membranaceus in 4to, & vetuſtate valdè deformatus, inter Theologicos Græcos MStos eſt *ducenteſimus*. Conſulenda ibi ſunt quatuor poſtrema folia.

Nonus, chartaceus in 4to, inter Theologicos Græcos MStos eſt *ducenteſimus decimus ſextus*. Conſulendus is eſt à fol. 106 uſque ad fol. 119.

Decimus, chartaceus in 4to, inter Philoſophicos & Philologicos Græ-

Græcos MStos eſt *ducenteſimus decimus tertius.* Conſulendus is eſt à fol. 33 uſque ad fol. 67.

Undecimus, chartaceus in fol., inter Theologicos Latinos MStos eſt *centeſimus vigeſimus nonus*, &, uti in frontiſpicio antiquâ manu ſcriptum legitur, olim fuit *Canonicorum regularium S. Auguſtini in Hertzogenbergâ.* Continet is præter alia varia diverſorum autorum opuſcula, etiam *S. Ephræmi* unum & viginti ſermones, (1) ab *Ambroſio Camaldulenſis Ordinis monacho* primùm, deinde autẽ *Abbate generali*, qui A. 1437 Ferrariæ coram Imperatore Conſtantinopolitano & Præſulibus Græciæ *græcè* declamavit, latinè verſos, unà cum ejuſdem præfatione ad *Coſmum Medicem*, quam hîc exhibeo.

Ambroſius monachus Coſmo ſuo, Viro CL. pl. S. (2) Peregrinum nuper offendi, è Syriâ, ut ajebant, profectum ad nos; ætate longævum, ſtaturâ procerum, ſed jam ſenio incurvum; vultu placidum atq; decorum; aſpectu ipſo deniq; & habitu ſanctitatis inſignia præ ſe ferentem, ſuffuſum oculos lachrymis, ſed ita ut ex eo ori & nihil dignitatis detractum, & plurimũ auctoritatis & gratiæ videretur adjectum. Sicq; ex eâ perpetuâ ferè profuſione lachrymarum faciei nihil fœditatis, nihil ſqualoris inſederat, ſed evaſerat tota ſerenior, nitidior, comptior, omniumq; intuentium in ſe provocabat affectum. Ego, cui ſenectus non ignava ſummæ ſemper venerationi fuit, quiq;, quod tu minimè ignoras, ex inſtituto meo jampridem ſenibus optimis & obtemperare promptè, & libentiſſimè obſequi, ſeduloq; miniſtrare conſuevi, nactus hujuſmodi hominem, captuſq; tantâ oris gratiâ & dignitate, ardebam eum alloqui, ejuſq; familiari frui contubernio, ſperans, id quod erat ſanè viſum, ex ejus collocutione me & utilitatis plurimum & voluptatis percepturum. Poſitâ itaq; pauliſper verecundiâ, accedo propiùs, ſenemq; officioſiſſimè ſaluto; à quo viciſſim blandè reſalutatus, inter ſalutationum verba ſolennia, animadverto græcæ locutionis gnarum. Tùm verò majori conſtantiâ in ejus amplexus effuſus, & ſancta oſcula libans, apprehenſâ illius dexterâ, impetravi non multis precibus haud ab invito, ut cellulam noſtram inviſeret, noſtroq; aliquamdiu frueretur hoſpitio. Secutus eſt ſponte, votiſq; meis hilariter annuit. Quid multis immorer? Ubi conſedimus, ab ipſo ſtatim ſermonis exordio animadverti ſenem meum Divinarum rerum peritiſſimum; flagrantem eximiæ pietatis affectu; ardore Divinæ charitatis incenſum; ſolicitum, intentum, pervigilem; torporem atq; deſidiam omni ſermone laceſſentem; compunctionum amiciſſimum; id quod illæ ejus adeò illuſtres lachrymæ

haud

(1) Joan. Jac. Friſius *in Bibliothecâ ſuâ Univerſali refert, S. Ephræmi ſermones 19 ab* Ambroſio Camaldulenſi *latinè verſos prodiiſſe in lucem* Argentorati *typis* Matthæi Schurerij *A. 1509; quam editionem hactenùs non vidi.*

(2) *Per* Peregrinum *hunc intelligũtur ſcripta* S. Ephræmi Syri. *Cuj⁹ Tropi per totam hanc præfationẽ continuatio* Allegoria metonymica *appellanda eſt.*

haud obſcurè ſignificabant; remiſſionum ac noxiæ ſecuritatis inimicum; lenem, placidum, mitemq́; vitia ubiq́; reſecantem laudantemq́; virtutes; affectus deniq́; noſtros ad amorem DEI *ſeculiq́; contemptum, ad ambienda æterna præmia, formidandaq́; ſupplicia potentiſſimè moventē.* DEUS *bone! quid gaudij, quid ſolatij, quantumq́; emolumenti ex hoſpitis adeò inſignis percepi (præſentiâ) cùm me dies ac noctes plurimas perpetuâ oratione alloqueretur. Nil ejus vel aſpectu gratius, vel doctrinâ ſalubrius, vel conſuetudine charius, jucūdius, lætius dici aut fingi poteſt. Verùm inter hæc gaudia noſtra, quibus plures dies incredibiliter affectus ſum, tu, quem maximè diligo, cuiq́; omnia debeo, ſæpè in mentem veniebas, cupiebamq́; te feſtivitatis noſtræ tantæq́; lætitiæ participem fieri, tantiq́; hoſpitis, ſi fieri ullâ ratione poſſet, guſtum aliquem capere. Sed cùm perdifficile id viderem, quod eſſet ille penitùs noſtri ſermonis ignarus, induxi placidiſſimum ſenem, ut commodi tui atq́; conſolationis causâ latinè quoque loqui diſceret; neq́; ſanè abnuit ſenior ſanctus, ut mihi tibiq́; morem gereret, atq́; inprimis ſanctæ charitati ſatisfaceret, (eſt quippe mecum tui amantiſſimus) præter ætatis conſuetudinem ſe mihi in diſciplinam dare, (1) meq́; docente paucis diebus ita linguam noſtram conſecutus eſt, ut meo quidem judicio latinè meliùs & eruditius loquatur, quàm græcè. Nunc igitur tu tantum talemq́; hoſpitem, Coſme, unicum virtutis ac nobilitatis decus, nominiſq́; tui ornamentū, & ex merito ſuo, & ex inſtituto tuo, & ex commendatione meâ, gratè reverenterq́; ſuſcipies, habebiſq́; in honore apud te, omniq́; officio ac veneratione tractabis. Cæterùm nullus ei à te honos major, nullum, quod pluris faciat, officium deferri poteſt, quàm ſi illo fruaris affatim, ſi omiſſis, quantum licet, publicis privatiſq́; negotijs te ad eum ſæpiùs conferas, hoſpitiq́; tuo remotis arbitris congrediare. Cupit enim ille te liberum expeditumq́; ſecretiùs alloqui: quod cùm aliàs ſemper utiliter faceres, tùm hoc ſacro, ſolenniq́; jejunij tempore neceſſariò tibi faciendum eſſe cenſeo. Debet hoc ſibi non immeritò vindicare ſanctorum reverentia dierum, ut ſolitis bonorum operum ſtudijs aliquid adijciamus, noſq́; ipſos atq́; conſcientias noſtras diligentiùs diſcutiamus: quod minimè implere poſſumus, niſi mortalium occupationum pauliſper curâ & cogitatione poſtpoſitâ. Nam quo pacto hujuſmodi curarum pulvere turbatum oculum in cordis penitiora infigere poſſumus, & ſubtiliùs abdita quæq́; rimari, cùm ne ea quidem, quæ ſunt ante oculos, planè diſcernere ac judicare valeamus. Ad hoc nempe hoſpitem noſtrum, ut ad te maturiùs proficiſceretur, oravi; quod omnis ejus ſermo, totaq́; doctrina aptiſſimè tempori congruat. Nihil enim*

(1) *Tranſlationem ſuam latinam intelligit.*

ille

ille humile, nil abjectum, nil molle, nil infimum, aut ſentit, aut loquitur, ſed omnis ejus oratio de DEO *eſt, rebuſq́ Divinis, de pœnitentiâ; de judicio futuro; de æternâ vitâ, gaudioq́ juſtorum; de reproborum pœnis; de acquirendis conſumandiſq́ virtutibus; de vellendis radicitùs vitijs. Jam verò laudatiſſimam illam Platonis ſententiam, quâ ſummam Philoſophiam meditationem mortis eſſe definivit, ita probaſſe deprehendi, ut omnis fermè ejus ſermo in eâ tuendâ verſari videatur. Terret, refovet, blanditur, hortatur, ac per varia diſputationum genera, nuſquam niſi lætâ ac renitenti facie cernitur; etiam dum vitia objurgat, lenitatis in ore gratiam ſervat; ſeipſum deijcit ſemper, nunquam inſolenter attolit. Sed quid ego de hoſpite noſtro tàm multa? facies ipſe periculum, ipſeq́ integerrimè judicabis, ac de eo, quid ſentiendum ſit, ſtatues. Qui ſi videbitur interdum horridiore genere dicendi uti, omnemq́ ferè cultum orationis omittere, partim ætati concedendum eſt; ſenex quippe priſcam illam dictionem imitatur; partim materiæ imputandum, quæ profectò ea eſt, ut non capiat orationis ornatum, partim immodicæ feſtinationi meæ acceptum referendum. Dum enim illum ad te mittere, tuiſq́ votis morem gerere præproperè ſtudeo, minùs fortaſſe limatus evaſerit, quod non pluſculum temporis fuiſſet apud me. Magnam tamen ubiq́ copiam licet admirari, mirumq́ in modum illa ipſa negligentia orationis, ut de induſtriâ aſſumpta, plus placet. Sed næ ego nimiùm inprudens ſum, qui ulteriùs te protraham ſermone noſtro, cùm in præſentiarum ſit hoſpes ille noſter, ad quem totâ intentione audiendum præparare te ſtudui. Habenda illi reverentia, neq́ committendum, ut diutius vacet apud te. En adeſt: illum amplectere, illiq́ potiùs aures atq́ animum applica. Jam enim tecum illum relinquo. Vale.*

Hucuſq; *Ambroſij Camaldulenſis* in Operum *S. Ephræmi* verſionem ſuam latinam elegantiſſima præfatio ad *Coſmum Medicem:* cui ſubjungitur ipſius S. Ephræmi ſermo *de Pœnitentia,* cujus principium: *Dilectiſſimi; nihil ſanctæ charitati præferamus: multa enim negligendo peccavimus diebus ſingulis, & horis, & momentis*, &c. Sequuntur deinde alij *viginti* ejuſdem *S. Ephræmi* Sermones; nempe *de extremo Judicio; de Iudicio & reſurrectione, de vitâ & exercitatione monaſtica; de vita monaſticâ; quod non oporteat videre, ſed flere & lugere; ad animam negligentem; ad monachos de Sanctis Patribus, qui illo tempore requieverunt; de armatura monachi; quod oporteat monachum veluti militem in acie ſemper aſſiſtere; de pœnitentia; de ſancto Domini adventu; de timore Dei; de anguſtiâ, quâ premitur anima, cùm ex pugna contra ſe hoſtis infirmior ſit; de compunctione;*

de paſſione Domini Salvatoris; ad eos, qui filij naturã ſcrutari volunt; de Antichriſto; de virginitate; de laudibus Martyrum; ac demùm *laudatio S. Joſephi Patriarchæ.* Cæterùm cauſa, cur *integram* Ambroſij Camaldulenſis præfationem hîc inſeruerim, præcipua hæc eſt, quod *Gerardus Voſſius,* Præpoſitus Tungrenſis, in ſuprà memoratâ omnium operum *S. Ephræmi* editione ſuâ latinâ, nullam verſionis iſtius antiquæ facit mentionem, cùm tamen certò conſtet, illum eâ uſum fuiſſe. Suo enim ſe prodit indicio tanquam ſorex, dum epiſtolam dedicatoriam ad Summum Pontificem *Sixtum* V ad imitationem *Ambroſij Camaldulenſis* hoc orditur initio: *Biennio antequam in excelſam iſtam Eccleſiæ ſpeculam, ſedem Petri, eveherer is, Sixte V. Pont. Max., virum mihi peregrinum è media Syria oriundum, & per Græciæ climata huc profectum, ut major ejus haberetur ratio, commendaſti, ac ut eodem mecum Romæ exciperetur contubernio, deſideraſti. Cùm enim propter Turcicam tyrannidem, cuncta devaſtantem atq; obſcurantem, non ampliùs eo haberetur bonore apud ſuos Syros & Græcos, quo anteà, ſed jam vileſceret, laborumq; ejus fructus, ibi deperiret, ad Latinos, & quidem ad ipſam Urbem Romam, velut ad ſecurum extra pericula portum ex Barbarorum manibus confugit, ut ibidem refloreſceret, & fructum uberiorem, tanquam loco magis fœcundo excultior redditus produceret: ubi etiam, quod multo nimis tempore aliter atq; ſperarat, obſcurus ſpretuſq; lateret, nec eſſet, qui illius curam, ſuſciperet, Tu tandem non ſine Divinâ providentiâ eum è latebris & tenebris vindicandum, mihiq; licet homini hîc externo, & ex ultimâ pœnè Germaniâ oriundo, committendum tradendumq; ſolicitè curaſti. Itaque feci non invitus, quod in hoſpite illo excipiendo, tibi cumprimis gratum, mihiq; jucundum, atq; alijs carum & utile fore intelligebã, ipſumq; à te uſq; adeò commendatum peramanter admiſi, ſuſcepi, & gratulabundus in idem mecum contubernium introduxi. Quem dum coram jam alloqui incipio, peregrinâ utentem linguâ comperio, à noſtro loquendi uſu multùm alienâ unde ſtatim, an aliam etiam nobis utcunq; communem calleret, percontor: ipſe verò præter maternam illam ſuam Syram, ſe quoq; Græcam ab optimis hauſiſſe magiſtris reſpondit,* (1) *Latini autem ſermonis prorſus ignarum. Quare me, ut inter Latinos latinè eum loqui doceam, vel ſaltem Interpretẽ ipſius agam, interpellat; ut in occiduis partibus, ubi anteà minus fuerat cognitus, deinceps magis innoteſcat, & ab omnibus intelligatur. Atq; ubi jam conſedimus ambo, animadverto ab ipſo mox ſermonis exordio, hoſpitem illum meum moribus*

(1) *Falſum hoc.* Reclamat enim *latina verſio* Ambroſij Camaldulenſis, *quæ translatione Gerardi Voſſij Præpoſiti Tungrenſis plùs integris centum annis eſt antiquior, Reclamant etiam editiones operum S. Ephræmi, quæ prodiernnt latinè Coloniæ Agrip. typ. Melch. Noveſiani A.* 1547 *in 8vo, & Venetijs Franciſco Zino interprete A.* 1574 *in 8vo; nec non germanicè Ioan. Schwaigero interprete Moguntiæ A.* 1565 *in 8vo.*

bus ſuaviſſimis præditum, varijſq; animi dotibus pulcherrimis ornatum, & in rebus Divinis exercitatiſſimum; nihilq; eum humile, nihil abjectum, nihil molle, nihil abſurdum aut infimum ſentire unquam vel loqui; ſed omnem ipſius orationem de DEO rebuſq; cæleſtibus, ipſumq; vitia ubiq; acriter reprehendentem, ac virtutes mirificè celebrantem, non voce duntaxat, ſed opere potiùs vivo atq; exemplo, affectiones deniq; noſtras ad DEI amorem, vaniq; hujus ſeculi contemptum, ac ad cæleſtis regni gaudia conſequenda, formidabilia autem inferni tormenta effugienda, ubicunq; ſeriò graviterq; moventem atq; flectentem; ut meritò de tali tantoq; nobis viro gratulandum ſit, cujus etiam nihil vel aſpectu gravius, vel doctrina ſalubrius, vel conſuetudine jucundius dici fingire poſſet. Sed quiſnam homo ille ſit peregrinus, fortaſſe tecum ambiges? Cujus etſi memoriam nondum Sanctitati T. excidiſſe credam, quòd non ita multum interfluxerit temporis, quo illum nobis commendaſti ac tradidiſti, tamen ut clariùs rem exprimam & ne alijs παραβολικῶς, aut potiùs ἀποστολικῶς loqui videar, quis is ſit enarrabo. Ephræm hic eſt Syrus, &c. Hæc Gerardus ille Voſſius, Præpoſitus Tungrenſis, ſimius *Ambroſij Camaldulenſis;* cujus mentionem licet maligno ſilentio de induſtriâ prætereat, ſententiam tamen & verba ſuprà inſertæ præfationis ad *Coſmum Medicem* adeò manifeſtè uſurpat, ut primo intuitu, videre ſit, quòd alienam gloriam falsâ æquè ac ambitioſâ venditatione ſibi attribuere haud verecundetur. Hactenus igitur antiquos illos Codices recenſui, quibus *S. Ephræmi* continentur Opera, quæ uſque ad hunc diem in Auguſtiſſimâ Bibliothecâ Cæſareâ reperi *manuſcripta,* & quorum autor in Codicum Sacrorum MStorum ejuſdem Bibliothecæ Catalogo, quẽ R.P. *Antonius Poſſevinus* Apparatus Sacri Tomo tertio ſubjunxit, perperam *Piſyrus* cognominatur. Cujus quidem erroris occaſionẽ præbuiſſe videntur verba Græca τοῦ Σύρου; ex quibus ab ineptis librarijs latinis primò quidem *Tiſyri,* deinde autẽ *Piſyri*, factum eſt.

Eodem Codicum ſacrorum MStorum Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis Catalogo, litera F. hæc leguntur:

Farrago variorum Opuſculorum, ut ſunt Chronicon Chriſti, Epiſtola Euſebij, Chryſoſtomi de bonis & malis mulieribus, &c.

Quæ verba ſic mutanda ſunt: *Farrago variorum Opuſculorum, inter quæ ſunt Hiſtoria de miraculo iconis Chriſti, edito in urbe Beryto, & Homilia S. Ioannis Chryſoſtomi de expulſione Adami ex Paradiſo, & de bonis atq; malis mulieribus.* Codex Bibliothecæ Cæſareæ, qui his

verbis innuitur, eſt chartaceus in 4to, & inter Theologicos Græcos MStos *ducenteſimus decimus ſextus*. Quod primò enim attinet ad *Berytienſe* miraculum imaginis Chriſti, quæ, cùm à Judæis ad imitationem Paſſionis Dominicæ per ludibrium crucifixa eſſet, verum ex latere ſuo emiſit *ſanguinem* & *aquam*, ejus rei narratio extat ibi à fol. 82 pag. 1 uſq; ad fol. 85 pag 1. Titulus & initium Narrationis iſtius ita ſe habēt: Κυριακὴ πρώτη τῶν νηστειῶν. Θαῦμα γενόμενον ἐν εἰκόνι τοῦ Χριστοῦ ἐν Βηρυτῷ. Ἀκούσατε πνευματικοί μου πατέρες καὶ ἀδελφοὶ, νουνεχῶς ἀκούσατε ξένου καὶ παραδόξου θαύματος, μᾶλλον δὲ γεγονότος ἐν ταῖς ἡμέραις ἡμῶν, καὶ δοξάσατε τὸν ἀεὶ ποιοῦντα μεγάλα καὶ ἀνεξιχνίαστα τέρατα διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν. Πόλις ἐστὶν Βηρυτὸς καλουμένη ἐν μεθορίοις Τύρου καὶ Σιδῶνος, τελοῦσα δὲ ὑπὸ Ἀντιόχειαν. ἐν ταύτῃ οὖν τῇ πόλει πλήθη πολλὰ ἦν τῶν Ἰουδαίων. πλησίον δὲ τῆς συναγωγῆς αὐτῶν, μεγάλης οὔσης σφόδρα, ἔλαβε χριστιανός τις (1) κελίον, &c. Contigit hoc miraculum anno Æræ Chriſtianæ 765 ſub Imp. *Conſtantino V*, cognomine *Copronymo, Caballino, Iconomacho & Iconoclaſtâ*, cùm quæſtio de ſacrarum imaginum cultu agitaretur quàm maximè. Teſtatur hoc *Sigebertus Gemblacenſis* in Chronico ſuo ad annum Chriſti 765 his verbis: *Tempore Conſtantini Imperatoris & Irenes uxoris ejus, in Syriæ civitate Beryto, quæ ſubjacet Antiochiæ, Iudæi imaginem Salvatoris Domini noſtri IESU Chriſti invenientes in domo cujuſdam Iudæi, ibi relictam à quodam Chriſtiano, eam injurioſè depoſuerunt, & omnia opprobria, quæ Iudæi Chriſto IESU intulerunt, ejus imagini inferebant, illudentes ei, in faciem conſpuentes, criminosè convitiantes, eamq; percutientes, manus & pedes ejus clavis configentes, acetum & fel ei porrigentes; tandem latere ejus aperto exivit de eo ſanguis & aqua. Quod illi ſuppoſitâ ampulâ ſuſcipientes ad experimentum, utrum fuerint vera miracula, quæ IESUM feciſſe audierant, omnes infirmos in ſynagogâ ſuâ collectos, hoc ſanguine aſpergebant: &, à quocunq; languore detinebantur, omnes ſanabantur. Vnde tandem Iudæi compuncti, ad Adeodatum civitatis Epiſcopum omnes concurrerunt, eiq; re enarratâ, imaginem cum ſanguine ei dederunt. Quibus baptizatis, Epiſcopus ſanguinem per ampulas diviſum longè lateq; dirigens, prædicabat magnalia Dei, obteſtatus omnes, ut ſingulis annis, quinto idus Novembris, celebretur paſſio Dominicæ Imaginis.* Hucuſque Sigebertus Gemblacenſis. Primus autem tàm inſigne miraculum literis mandavit *Athanaſius*, (1) non quidem *Magnus* ille *Alexandrinæ Eccleſiæ Archiepiſcopus*, qui A. C. 372 obijt, ſed alius multò

(1) Κελίον & Κελλίον *græco-barbarè pro* Cellula.

(1) *Obſervarunt hoc jam pridem*

tò recentior ὁ τῆς ἀθανασίας ἐπώνυμος, *(ab immortalitate appellationem ſortitus)* qui temporum hujus miraculi fuit æqualis, ideòq; tantæ autoritatis haberi meruit, ut narratio ab illo conſcripta, non tantùm à *S. Synodo Nicæna II* ſive *Oecumenica VII* publicè probata, verùm etiam ejuſdem *Actioni quartæ* ad perpetuam memoriam inſerta fuerit. Conſului ejus rei causâ Auguſtiſſimam Bibliothecam Cæſaream, & reperi ibi inter Codices Theologicos Græcos MStos chartaceum aliquem in folio, 262 foliorum ordine *centeſimum nonageſimum ſextum*, qui à *Busbeckio* olim fuit comparatus *Conſtantinopoli*, & nihil continet præterquam *Acta Synodi Nicenæ II* ſive *Oecumenicæ VII*, quæ A. C. 787 ſub Imp. *Conſtantino VI* & matre ipſius *Irene* fuit celebrata. Huic itaq; Synodo Narratio illa miraculi *Berytienſis* per Imaginem Chriſti à Judæis crucifixam editi, inſerta legitur hoc modo: Λόγος τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἀθανασίου περὶ τῆς εἰκόνος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ ἀληθινοῦ θεοῦ ἡμῶν, γενομένης θαύματος ἐν Βηρυτῷ τῇ πόλει. Αἴρατε τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς διανοίας ὑμῶν, *&c.* Finitâ hâc narratione, ſequitur ibidem ejuſdem approbatio per *Conſtantinum Epiſcopum Conſtantiæ Cypri* his verbis: Κωνσταντῖνος ὁ ὁσιώτατος ἐπίσκοπος Κωνσταντείας τῆς Κύπρου εἶπεν. Ἰδοὺ καὶ ὁ τῆς ἀθανασίας ἐπώνυμος πᾶσαν τὴν ἁγίαν σύνοδον ταύτην παρεσκεύασε κατανυγῆναι καὶ δακρῦσαι, ἐπειδὴ οὐ μόνον σεπτὰς αὐτὰς ἐγνώρισεν, ἀλλὰ καὶ μεγίστας ἰάσεις ἐπιτελούσας. H. e. *Conſtantinus ſanctiſſimus Epiſcopus Conſtantiæ, quæ eſt in Cypro, dixit: Ecce etiam is, qui ab immortalitate appellationem ſortitus eſt, totam hanc ſacram congregationem ad compunctionem & lachrymas impulit. Non enim venerandas eſſe tantummodò imagines Sanctorum docuit, ſed & maximas quaſdam medicandi rationes ab his proficiſci.* Hæc Epiſcopus ille Conſtantiæ Cypri *Conſtantinus*. Ubi inprimis notandum eſt, autorem illius Narrationis ab eo non ſimpliciter & expreſsè vocari *Athanaſium*, ſed figuratè & ſubobſcurè τὸν τῆς ἀθανασίας ἐπώνυμον, h. e. *eum, qui ab immortalitate appellationem ſortitus ſit.* De induſtria enim ſic locutus eſt Epiſcopus ille *Conſtantinus*; nempe ne propter nominis ſimilitudinem autor hujus narrationis *Athanaſius* cum *Athanaſio Archiepiſcopo Alexandrino* confunderetur; uti perperam factum videmus, cùm apud *Laurentium Surium* Tomo VI de Vitis Sanctorum, d 9 Novembris, tùm in Narrationis jam memorati Miraculi *Berytienſis* duplici editione *Commelinianâ* A. 1601, quæ extat inter Opera *S. Athanaſij* Archiepiſcopi Alexandrini Tom. 2. pag. 11, & deſum-

& rectè monuerunt Em. Card. Bellarminus libro de Scriptor. Eccleſ., ubi agitur de S. Athanaſio Archiep. Alex; & Em Card. Baronius partim Annal. Eccleſ. Tom. IX ad an. 787, partim autem in Notis ad antiqui Martyrologij Romani diē IX Novembris, *ubi hæc leguntur:* Berytii in Syria cōmemoratio imaginis Salvatoris, quæ à Judæis crucifixa, tàm copiosū emiſit ſāguinē, ut Orientales & Occidentales Eccleſiæ ex eo ubertim acceperint.

pta eſt ex duobus diverſis Codicibus MStis Bibliothecæ *Palatinæ*, in quibus hæc fuit duplex inſcriptio: I. Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἀθανασίου ἀρχιεπισκόπου Ἀλεξανδρείας λόγος εἰς τὸ θαῦμα τὸ γεγονὸς ἐν Βηρυτῷ περὶ τῆς τιμίας καὶ σεβασμίας εἰκόνος τοῦ κυρίου καὶ Θεοῦ ἡμῶν. II. Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἀθανασίου ἀρχιεπισκόπου Ἀλεξανδρείας περὶ τῆς εἰκόνος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ γενομένου θαύματος ἐν Βηρυτῷ τῇ πόλει. Similiter etiam in *tribus* Auguſtiſſimæ Bibliothecæ *Cæſareæ* Codicibus MStis ſub falſo S. *Athanaſij* Archiepiſcopi Alexandrini nomine Narrationem eandem reperi. Horum primus eſt membranaceus in folio, & inter Theologicos Græcos MStos *decimus octavus*, cujus folio 179, pag. 1, hæc leguntur: Διήγησις Ἀθανασίου ἀρχιεπισκόπου Ἀλεξανδρείας περὶ τοῦ γεγονότος θαύματος παρὰ τῆς τιμίας εἰκόνος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐν Βηρυτῷ τῇ πόλει. Ἄρατε τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς καρδίας ὑμῶν, &c. Secundus Codex itidem eſt membranaceus in folio, & inter Theologicos Græcos MStos *vigeſimus ſextus*, cujus folio 127, pag. 2, hæc leguntur: Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἀθανασίου ἀρχιεπισκόπου Ἀλεξανδρείας λόγος περὶ τοῦ γενομένου θαύματος ἐν Βηρυτῷ παρὰ τῆς εἰκόνος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Ἄρατε τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς διανοίας ὑμῶν, &c. Tertius Codex chartaceus eſt in 4to, & inter Theologicos Græcos MStos *nonageſimus ſeptimus*, cujus folio 108, pag. 1, hæc leguntur: Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἀθανασίου ἀρχιεπισκόπου Ἀλεξανδρείας διήγησις περὶ τοῦ γεγονότος θαύματος ἐν Βηρυτῷ παρὰ τῆς ἁγίας εἰκόνος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Sequitur deinde ipſa Narratio, ſed à cæteris jam memoratis ejuſdem miraculi narrationibus tàm manuſcriptis, quàm impreſſis *valdè diverſa*, uti ex principio ejus, quod adſcripſi, videre eſt. Εἰ καὶ τῇ παιδείᾳ ἄμοιρος καὶ ἀμέτοχος ὁ τάλας ἐγώ, καὶ τῷ λόγῳ ἀμαθής, καὶ τῇ γνώσει ἀνάξιος, ἀλλ' οὖν θαρρῶν εἰς τὴν τοῦ ὑπεραγάθου καὶ φιλανθρώπου Θεοῦ ἡμῶν ἀγαθότητα, πολλὴν οὖσαν καὶ ἀνείκασον, καὶ μέτρῳ οὐχ ὑποβαλλομένην, εὔελπίς εἰμι καὶ πρόθυμος τοῦ λέγειν τὰ θεῖα καὶ ψυχοφελῆ διηγήματα. οἶδα γάρ, οἶδα, ὅτι ὅσον ἐστὶ ἀπωθής. πρὸς πέλαγος ἀχανὲς, τοσοῦτον καὶ ἐν μιᾷ καρδίᾳ πονηρᾷ συνείδησις πρὸς γὰρ τὸν ἄφατον πλοῦτον τῆς χρηστότητος αὐτοῦ πιστεύω, καὶ οὐ δέδοικα, ὅτι καλύψει πλῆθος ἁμαρτιῶν ἡμῶν ἡ τοῦ πελάγους αὐτοῦ ἀγαθότης. ὥσπερ γὰρ ὁ αἰσθητὸς ἥλιος περιλάμπει πηλῷ καὶ ῥυπαροῖς τόποις καὶ ἀμάραις, καὶ οὐ μολύνεται, καὶ δυσωδίας ἀνέχεται, καὶ οὐδὲν

καὶ οὐδὲν παραβλάπτεται, οὕτω δὴ καὶ ὁ νοητὸς ἥλιος Χριστὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν οὐ τὴν πόρνην ἀπεβάλετο καὶ ἐβδελύξατο, οὐ τὸν τελώνην ἀπώσατο, οὐ τὸν λῃστὴν ἀπεστράφη, ἀλλὰ πάντας προσίεται καὶ δέχεται, ὡς τοῦ Μανασσῆ τὴν ἐξαγόρευσιν, ὡς τῆς χήρας τὰ δύο λεπτὰ, οἷα καὶ τουτονὶ τὸν ἐλάχιστον ἡμῶν ψελισμόν. οὕτω δὴ καὶ τὸ πνεῦμα αὐτοῦ τὸ ἅγιον ἀνέχεται καὶ ἐνεργεῖ κατὰ τὸ μέτρον τῆς αὐτοῦ δωρεᾶς, καὶ ἐν ἁμαρτωλοῖς, καὶ ἐν ἀλλογλώσσοις, καὶ γνωρίζεται παρ' Ἰνδοῖς, καὶ ἀποκαλύπτεται ἐν Πέρσαις. οὕτω γὰρ καὶ τοὺς Ἕλληνας ἐσόφισε, καὶ τοὺς ἁλιεῖς, καὶ ἀγραμμάτους, ῥήτορας καὶ θεολόγους ἀνέδειξεν. ἡ δὲ ἀπαρχὴ τῆς ἡμῶν χάριτι Θεοῦ ἐπεξηγήσεως ἐστὶν αὕτη καὶ οὕτως ἔχουσα. (1) Ἄρατε οὖν τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς καρδίας ὑμῶν, καὶ ἴδετε τὸ καινὸν θαῦμα τοῦτο ὅπερ γέγονε νῦν. ἐμβλέψατε εἰς τὸ ἄπειρον πέλαγος τοῦ Θεοῦ, καὶ δότε αὐτῷ δόξαν καὶ κατανοήσατε τὴν ἄφατον αὐτοῦ φιλανθρωπίαν καὶ τὸ μέγεθος τῆς αὐτοῦ οἰκονομίας, καὶ θρῆνον μετ' εὐφροσύνης ἀναλάβετε. ἐπὶ μὲν γὰρ Θεοῦ οὐδὲν ξένον. Θεὸς γὰρ ὤν, πάντα δύναται. ὅτι δὲ ἐν ταῖς ἡμέραις ἡμῶν καὶ ἐφ' ἡμῶν τοιαῦτα καθηξιώθημεν ἰδεῖν ἡμεῖς οἱ ἁμαρτωλοὶ, ἔκστητε πᾶσαι αἱ καρδίαι τῶν ἀνθρώπων. ὄντως ἐξέστη ὁ οὐρανὸς ἐπὶ τὰ τετολμημένα. ἐταράχθησαν αἱ ἄβυσσοι, ὁ ἥλιος ἐσκοτίσθη, καὶ ἡ σελήνη, καὶ οἱ ἀστέρες, ἐπὶ τῷ γεγονότι θαύματι. ἀλλὰ πάλιν ηὐφράνθησαν ἐπὶ τῷ οἰκονομηθέντι ὑπὸ τοῦ Κυρίου. πᾶν οὖν γένος ἀνθρώπων καὶ πᾶσα ἡλικία ἀκούσατε καὶ ἔκστητε, ὃ γέγονεν ἐν ταῖς ἡμέραις ἡμῶν. συνιῶντες οὖν συνίετε καὶ τὸ οὖς ὑμῶν κλίνατε, καὶ ἀκούσατέ μου. Πόλις ἐστὶ παρακειμένη ἐν ὁρίοις Τύρου καὶ Σιδῶνος, Βηρυτὸς μὲν ὄνομα ταύτῃ, τελοῦσα δὲ ὑπὸ τὴν μεγάλην Ἀντιόχειαν. ἐν ταύτῃ τῇ πόλει ὑπῆρχε πλῆθος πολὺ τῶν Ἰουδαίων. πλησίον δὲ τῆς τούτων μιαρᾶς συναγωγῆς, μεγίστης οὔσης, χριστιανός τις τὸν ἐφήμερον διάγων βίον, ᾤκει ἐν βραχυτάτῳ τινὶ κελλίῳ, ἐπιφερόμενος καὶ εἰκόνα τιμίαν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἣν ἐσέβετο καὶ προσεκύνει, σεμνῶς μὲν ἐζωγραφημένην, σεβασμίως δὲ προσκυνουμένην. χρόνου δέ τινος &c. Ex hâc itaq; præfatione & initio ſatis in præſens elucet, Narrationẽ hanc miraculi *Berytienſis*, qua extat jã memorato Codice *nonageſimo ſeptimo*, à reliquis ejuſdem argumenti Narrationibꝰ tàm manuſcriptis, quàm impreſſis *valde diverſam* eſſe. Integram autẽ eam, ſi Deo placuerit, editurus ſum in *Supplemento Hiſtoriæ Conciliorũ*, ex Auguſtiſſimâ Bibliothecâ Cæſareâ poſthac edendo; utpote ubi in *Additamento Synodi Nicænæ II* non tantùm de ipſo illo ſtupendo miraculo, verùm etiam de *Athanaſio*, qui primus memo-

(1) Ab hâc voce Ἄρατε incipiũt Narrationis hujus editiones Commelianæ ſuprà memoratæ, ut & manuſcripta duo exemplaria Bibliothecæ Cæſareæ Codd. 18 & 26. Quæcunq; autem vocẽ Ἄρατε præcedunt, ea deſunt.

memoriam ejus literis conſignavit, nec non de *varietate lectionnm* Narrationis Græcæ, quæ ſub *Athanaſij* nomine tàm manuſcripta, quàm impreſſa ſupereſt, & de *Anaſtaſij Bibliothecarij* antiquâ *latinâ* ejuſdem Narrationis tranſlatione, ex profeſſo accuratiùs ac uberiùs agere conſtituerim. Interim hoc in anteceſſum moneo, extare in Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ (1) Codice membranaceo pervetuſto, qui inter Codices Theologicos Latinos MStos eſt *ſeptimus*, etiam (2) *latinam* ejuſdem miraculi *Berytienſis* Narrationem *ſine nomine interpretis* & *abſq; ullo proœmio*; quæ cùm tàm ab (3) *Anaſtaſij Bibliothecarij*, quàm à (4) *Laurentij Surij* & (5) *Severini Binij* latinâ verſione non mediocriter diſcrepet, meâq; ſententiâ, ut aliàs pluribus indicabo, *prima omnium & antiquiſſima ſit*, adeò bona fide integram eam hîc exhibeo, ut ne manifeſtiſſimos quidem priſcæ ſimplicitatis eccleſiaſticæ *ſolœciſmos*, qui in ea paſſim occurrunt, mutaverim.

Eſt Civitas, quæ vocatur Berytus, adjacens inter terminos Tyri ac Sidonis, præbens tributum Antiochiæ. In hac autẽ civitate multitudo Judæorum, & Synagoga eorum valdè magna. Accepit autem Chriſtianus quidam, dato pretio, cellulam à quodam in poſſeſſionem; in quâ habitans, fixit imaginem Salvatoris Domini noſtri JESV CHRISTI *in conſpectu lecti ſui: & ſtatura quidem picturæ non magna, ſed mediocris, quæ tamen totam imaginem Salvatoris continebat. Aliquantum temporis fluxit, & ſubſtantia viri illius crevit valdè; utpote ubi miſeratio & diſpoſitio* DEI *mirabiliter operari cœperat; & ampliorem ſibi Chriſtianus ille ad divertendum quærere cœpit domum. Tollens autem omnem ſuppellectilem ſuam, tranſtulit à ſuprà dictâ cellâ, quæ & ipſa valdè contigua erat Synagogæ Judæorum, ad alium, quem ſibi ad inhabitandum elegerat, locum, ſolius imaginis Domini immemor factus, quod ex providentia* DEI *ita contigit accidiſſe. Rurſum verò Iudæus quidam accepit in poſſeſſionem eandem cellam, ubi imago Domini relicta manſit, & introducens omnia ſua, ibidem converſari cœpit, non cognoſcens, aut aliquando perſpiciens imaginem Domini, eò quòd ex adverſo velut in occulto repoſita ſtaret. In unâ autem dierum invitavit ipſe quendam alium Iudæum ad prandium ſecum, & inter prandendum elevans oculos ſuos ille, qui vocatus venit Iudæus, vidit imaginem Domini noſtri* JESV CHRISTI, *& ait: Dum tu es Iudæus, quomodo*

hanc

(1) *Continet ille Codex complures Sũmorũ Pontificum Romanorum antiquiſſimas Epiſtolas & Acta variorum Conciliorũ inde à primo Æræ Chriſtianæ ſeculo uſq; ad* Synodũ Romanã V, *à* 218 *Epiſcopis A.* Æ.C. 503 *celebratam ſub* Symmacho *Pontifice Romano, cujus Epiſtola ad* Liberiũ Patricium *extat* folio ante penultimo. *Quâ finitâ, ſequitur æquè vetuſto charactere exarata Narratio miraculi per Imaginẽ Chriſti in urbe Beryto editi,* folio penult. *&* ultimo. (2) *Quanta hujuſmodi veterũ verſionũ latinarum, licet barbariſmis & ſolœciſmis refertarum, dignitas ſit & utilitas, egregiè docent* Jacobus Billius *Obſervationum Sacrarum lib.* 1. *cap.* 37 *&* R. P. Fronto Ducæus *in Notis ad* Gregorij Nyſſeni *librum de creatione hominis.* (3) *Apud Em. Card.* Baronium *Annal. Eccleſ. Tomo IX in Actis A.* 787. (4) *Tomo VI de Vitis Sanctorum, d. 9 Novembris.* (5) *Tomo III Conciliorum in Actis* Synodi Nicænæ II, *pag.* 329.

hanc imaginem habes? & injurias quidē multas & neſandas dixit contra Salvatorem ab horâ, quâ Sanctam imaginem aſpexit, quod etiam neſas duxi ſcribere: & ſatisfecit ei ille, qui invitavit, quòd ex eo tempore, quo in eadem domo converſari cœpit, imaginem Domini ibi non cognovit. Surgens autem cum indignatione, abijt ad Principes Sacerdotum. Comperientes autem ab ipſo, quæ facta ſunt, dixerunt ei: Potes hoc nobis demonſtrare? At ille certior factus dixit eis: Quoniam ego hoc vobis exhibebo in domo ejus. Itaq; tranſactâ horâ veſpertinâ; illo die ſiluerunt. Mane autem facto, ſummi Principes Sacerdotum, & ſeniores populi, turbaq; multa gentis eorum, abjerunt in domum, ubi ſtabat imago Domini noſtri JESV CHRISTI, *& pervenientes domum, impetu facto, irruerunt Principes & Seniores populi prævio duce illo Iudæo, qui eis annuntiaverat, & invenerunt imaginem Domini noſtri ſtantem, ſicut dictum eſt ad illos. Irati quoque valdè circa Hebræum illum, qui ibidem inhoſpitabatur, extra Synagogam eum expulerunt. Deponentes verò ſanctam imaginem dixerunt. Quoniam, ſicut audivimus, patres noſtri huic olim illuſerunt, & nos illudamus. Tunc cœperunt expuere in faciem ejus, & percutiebant eum, dixeruntq;: Quanta fecernnt ei patres, & nos omnia faciamus; & convitiabantur ei multis criminoſis ſermonibus, quæ etiam præ enormitate ſceleris neſas fuit ſcribere. Item dixerunt: Quia confixerunt manus ejus & pedes, hoc & nos faciamus. Configentes autem manus & pedes, adjecerunt dicentes: Audivimus, quòd acetum & fel dederunt ei porrectâ ſpongiâ; hoc idem & nos impleamus; & admotâ harundine cum ſpongiâ, plenâ aceto & felle, appoſuerunt ori ejus, addideruntq; iniquitatem ſuper iniquitatem, dicentes: Didicimus quod harundine percuſſerunt caput ejus patres noſtri, ſimiliter & nos faciamus, & percuſſerunt harudine caput ejus. Finitis verò omnibus his, dixerunt: Sicut lanceâ latus ejus aperuerunt, ita & nos confodiamus; & perforato lanceâ latere Domini, exivit ſanguis & aqua. Gloria tibi Chriſte: gloria tibi Fili Dei vivi, qui de ſupernis ſedibus deſcendiſti pro ſalute noſtrâ vivam exhibere præſentiam, & pro liberatione noſtrâ, cùm immortalis eſſes, morti te tradidiſti. O inæſtimabilis benignitas Salvatoris noſtri Dei! ut enim fidelibus tuis rememorareris antiquæ pietatis tuæ opera, hæc mirabilia tua, cœlo & terris ſtupenda & glorificanda, iterùm innovaſti. Erigite filij lucis oculos mentis veſtræ, & exhilarate corda; quia hodie facta eſt vobis redemptio, & jugum captivitatis veſtræ contritum. Audite ergo & glorificate Dominum pro beneficijs, quæ adhuc vobis monſtravit. Principes autem Sacerdotum poſtea quam lanceâ latus Domini confoderunt, dixerunt: Quia in univerſam*

verſam terram divulgata ſunt ſigna & virtutes plurimæ, quæ fecit JESUS *Nazarenus, recipiemus ſanguinem de latere ejus, & omnes infirmos & malè habentes inde ſpargamus per univerſam Synagogam, ut experiamur virtutem Chriſti, & ſi vera ſunt, quæ de eo dicta ſunt: & ſubponentes ampullam vitream ad locum vulneris, receperunt in eâ ſanguinem & aquam de latere Domini decurrentem; adhuc ipſis non credentibus, ſed injurias & blaſphemias inferentibus; portabant ampullam plenam ſalute & virtute ad locum, in quo multitudo languentium coadunata fuit. Primùm quidem omnium paralyticum quendam à nativitate adeunt, liquore ſummatim perungunt, & incolumitati reddunt. Cœci quamplurimi ad tactum ſacræ perunctionis gaudium receperunt luminis. Dæmoniaci quoque ad odorem Divinæ virtutis, quotquot offerebantur, purgabantur. Ubi autem celebre verbum hoc factum eſt per univerſam civitatem, alij atq; alij ſe cum ægrotis ſuis ingerentes, de agris, vicis & domibus multitudine infinitâ profluebant & ſalvi fiebant. Repleta eſt autem Synagoga eorum paralyticis, claudis, dæmoniacis, leproſis, aridis, cœcis, mutis & ſurdis, & omni genere morborum ægrotantibus, & à quocunq; genere languoris detinebantur, ſanabantur. Videntes autem Principes Sacerdotum & omnis Synagoga eorum ſigna & prodigia magna, quæ fiebant, cum mulieribus & infantibus credentes, clamabant DEO Patri, & Filio ſuo* JESU CHRISTO, *atq; Spiritui Sancto: Unus DEUS Pater, unus Chriſtus Dei Filius, unus ex utroq; procedens Spiritus ſanctus, qui in Trintate perfectâ vivit & regnat DEUS in ſecula, Amen. Gloria tibi Chriſte, quem patres noſtri ignorantes quidem crucifixerunt; qui nunc & à nobis in ſanctâ imagine tuâ crucifixus es. Gloria tibi Chriſte, Fili Dei vivi, qui per ſigna potentiæ tuæ illuminaſti cœcitatem cordium noſtrorum, & ad tuam miſericordiam traxiſti; tibi credimus; propitius eſto nobis, & ſuſcipe lachrymas & pœnitentiam noſtram, ne fortè præ magnitudine ſcelerum infernus aperiens os ſuum deglutiat nos. Qui cum patribus noſtris mirabilia magna feciſti, & beneficia innumerabilia præſtitiſti, parce iniquitatibus noſtris, & medere animabus noſtris. Et clamor magnus fiebat clamantium & Dominum invocantium. Sanatis verò omnibus, qui advecti venerant, infirmis, Principes Sacerdotum & omnis multitudo eorum ad Epiſcopum Civitatis cucurrit, una voce clamantes: Unus DEUS Pater, unus* JESUS CHRISTUS *Filius ejus DEUS, quem patres noſtri crucifixerunt, unus & Spiritus Sanctus DEUS; & confitentes peccata ſua, ipſam imaginem ſanctã, oſtenderunt Epiſcopo, narrantes etiam, qualiter ſanguis & aqua de latere ipſius cucurrit, & quanta mirabilia facta ſunt. Epiſcopus autem univerſaliter indicto*

jejunio,

jejunio, omnes regeneravit ſancto baptiſmate, quos ipſe omnes ſuſcepit. Synagogam quidem eorum principalem eccleſiam conſecravit in bonore Salvatoris noſtri JESU CHRISTI, *cæteras verò eorum ſynagogas dedicavit eccleſias Apoſtolorum & martyrum. Factumq; eſt gaudium magnum, non ſolùm, quod tanta corpora curata ſunt, ſed quod & animæ multorum de morte ad vitam translatæ ſunt. Hæc ſciens ego, Fratres dilectiſsimi, acceleravi manifeſtare vobis, ut in hoc etiã cognoſcentes virtutem & miſericordiam Domini noſtri* JESU CHRISTI *ampliùs ſitis confirmati in fide, & gratiarum actiones illi reddatis pro mirabilibus & beneficijs, quæ Dominus oſtendit.* (1) *Decrevit Sancta Romana & Antiochienſis Eccleſia die quinto Iduum Novembrium ſolemne agi, in quo hæc facta ſunt ad laudem Domini noſtri* JESU CHRISTI, *qui vivit & regnat cum Patre in unitate Spiritus Sancti DEUS, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.*

(1) *Locus notabilis, qui apud* Baroniũ *in verſione* Anaſtaſiana *non extat.*

Hucuſque Narratio illa de miraculo per Imaginem Chriſti à Judæis in Urbe *Beryto* crucifixam edito, quæ extat in ſuprà memorato Codice Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ, inter Theologicos Latinos MStos *ſeptimo.* Cæterùm, ut ad ejuſdem argumenti Narrationem *Græcam,* Codice inter Theologicos Græcos MStos *ducenteſimo decimo ſexto* extantem, cujus R. P. Antonius Poſſevinus in Catalogo ſuo Sacrorum Codicum MStorum Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, meminit, revertar, haud prætereundum eſt ſilentio, eam omnibus hactenùs enumeratis miraculi iſtius Berytienſis tàm Græcis, quàm latinis narrationibus *in fine* auctiorem eſſe. Poſteaquam enim *anonymus* iſtius Narrationis Autor expoſuit, Synagogas Judæorum Berytienſium in templa Chriſtianæ religionis fuiſſe converſas, ſubjungit deinde, *Divinum illum ſanguinem unà cum aquâ, quæ ex latere imaginis Chriſti effluxerat, ab Imp. Conſtantinopolitano Nicephoro II. cognomine Phocâ, in Syria inventum, & anno Mundi ſecundum vulgarem Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſupputationem ſexies milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo, qui majori ex parte reſpondet anno Æræ Chriſtianæ vulgaris nongenteſimo ſexageſimo tertio, ſolenniter deductum Conſtantinopolim, atq; ibi in templo Omnium Sanctorum tanquam inæſtimabilem theſaurum repoſitum fuiſſe.* Τοῦτο, inquit, τὸ θεῖον αἷμα καὶ ὕδωρ Νικηφόρος ὁ ἐυσεβέστατος βασιλεὺς εὑρὼν ἐν μιᾷ πόλεων τῆς Συρίας, ἔλαβεν αὐτο, καὶ αὐτὸς δι' ἑαυτοῦ ἀνεκόμιζεν εἰς Κωνσταντινούπολιν ἐν τῷ ἑξακισχιλιοστῷ τετρακοσιοστῷ ἑβδομηκοστῷ ἔτει, καὶ κατέθηκεν ἐν τῷ πανσέπτῳ ναῷ τῶν ἁγίων πάντων. Id quoq; inſuper adijciendum cenſeo, in eodem jam memorato Codice 216 Narrationi miraculi Berytienſis ſine intervallo

ſtatim ſubjungi *aliam* ejuſdem ferè generis hiſtoriam de Imagine quadam Chriſti *Conſtantinopolitanâ* juxta Eccleſiam Magnam ſive S. Sophiæ collocatâ, quæ temporibus *Imp. Iuſtiniani Magni* à Judæo vulnerata, verum emiſit ſanguinem. Titulus & exordium narrationis ita ſe habent: Θαῦμα γενόμενον ἐν Κωνσταντινουπόλει ἐν εἰκόνι τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Δεσποτικῶν καὶ παραδόξων θαυμάτων ἀνάμνησιν μέλλων διηγήσασθαι, ὑμᾶς πνευματικοὶ μου ἀδελφοὶ παρακαλῶ πάντας, εὐγνωμόνως μοι παραστῆσαι τὰς ἀκοάς, &c. Verùm hâc de re in præſens ſatis. Prolixiùs autem & accuratiùs de duplici illo *Berytienſi* & *Conſtantinopolitano* miraculo agam partim quidem in ſuprà promiſſo *Supplemento Hiſtoriæ Conciliorum*, partim verò etiam in *Supplemento Corporis Hiſtoriæ Byzantinæ*, ex Auguſtiſſimâ Bibliothecâ Cæſareâ, ſi Deus vitam & vires mihi conceſſerit, itidem poſthac edendo. Interim nunc pergo ad *S. Joannis Chryſoſtomi* locum *de bonis & malis mulieribus*, cujus R. P. Antonius Poſſevinus in ſuprà citato fragmento Catalogi Bibliothecæ Cæſareæ meminit. Extat is in fine Homiliæ *de expulſione Adami ex Paradiſo*, quæ continetur jam memorato Codice inter Theologicos Græcos MStos 216 à folio 39 uſque ad fol. 57. Titulus & principium hujus Homiliæ in editione Græcâ Omnium Operum S. Joannis Chryſoſtomi, quæ curâ ac ſtudio *Henrici Savilij* Etonæ in Angliâ typis Joannis Nortoni A. 1612 octo Voluminibus in fol. in lucem prodijt, ita ſe habent: Εἰς τὴν ἐξορίαν τοῦ Ἀδὰμ καὶ περὶ πονηρῶν γυναικῶν. Πρόκειται ἡμῖν, ἀγαπητοί, πνευματικὴ τράπεζα ἐκ τῶν θείων γραφῶν πληρουμένη, πλήρης ἀγαθῶν, οὐκ ἐδεσμάτων ἀπολλυμένων, ἀλλὰ τρυφὴ περιέχουσα τὰ τῆς ἀληθείας διδάγματα. οὐκ ἄρτον &c. In Codice autem Cæſareo titulus ille *auctior* legitur hoc modo: Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννου ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως τοῦ Χρυσοστόμου λόγος εἰς τὴν ἀρχὴν τῆς μ, καὶ εἰς τὴν ἐξορίαν τοῦ Ἀδάμ, καὶ περὶ καλῶν καὶ πονηρῶν γυναικῶν. Item in alio Codice, inter Theologicos Græcos MStos *quadrageſimo nono*: Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννου ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως τοῦ Χρυσοστόμου λόγος εἰς τὴν ἐξορίαν τοῦ Ἀδάμ, καὶ περὶ καλῶν καὶ πονηρῶν γυναικῶν. Etenim non *de malis* tantùm *mulieribus*, ut ex Savilianæ editionis imperfecto titulo quis colligeret, eâ homiliâ agitur, verùm etiam *de bonis*. Ad *malas* quippe *mulieres* pertinent illa: στήσωμεν μέχρι τούτου τὸν λόγον, ἢ διηγησόμεθα, ἅπερ ὑμῖν ἡ Εὔα κληρονομίαν ἐχθίστην κατέλιπε ταῖς μετέπειτα

γυναιξί;

γυναιξί; ἀναγκαῖον μηκῦναι τὸν λόγον πρὸς τὸ ὑποδεῖξαι πᾶσι τὴν ἐκ τῆς καταρίας θεόθεν γινομένην ἀγανάκτησιν, πῶς εὔδηλος ἡμῖν ἡ δίκη γέγονε καὶ τοὺς ὅρους αὐτῆς μέχρις αἰῶνος συντηρεῖ, καὶ τὸ τοῦ θεοῦ ἀψευδὲς στόμα τὸ ἀποφηνάμενον αὐτῇ, Πληθύνων πληθυνῶ τὰς λύπας σου καὶ τὸν στεναγμόν σου, βεβαιοτέραν τὴν λέξιν φανερουμένην ταῖς γυναιξὶ ταύταις. καθάπερ γὰρ θυγάτηρ μητρὸς μορφὴν εἰκονίζει, εἴτε δι' ὀφθαλμοῦ, εἴτε διὰ προσώπου, εἴτε διὰ ἡλικίας, τοιοῦτον καὶ νῦν μέχρις αἰῶνος εἰσῆλθε κοσμικὴ δίκη, καὶ ἕως τῆς συντελείας αὐτῆς τὰ μέτρα οὐ παρασαλευθήσονται. ἀλλὰ τὸν νοῦν ὑμῶν ἄνω πετάσαντες, πρὸς τὴν τῆς διηγήσεως ἐξέτασιν ἐμφιλοχωρήσατε· καὶ τὰ τῆς ἀληθείας διηγήματα ἐν ταῖς διανοίαις ὑμῶν περιθέντες, ἀσμένως ταῦτα ἀκούσατε. οὐ γὰρ περὶ σωφρόνων καὶ δικαίων γυναικῶν ἡμῖν τὸ θέατρον τοῦ λόγου ἀνεκάθηρεν, ἀλλὰ περὶ πονηρῶν, καὶ ἀκολάστων, καὶ βεβήλων ὁ λόγος τὴν διήγησιν ἀνιστόρησε. ποίαν τάξιν αὐτῶν ὁ λόγος παραστήσει; τῶν παρθένων &c. Ad *bonas* verò *mulieres* pertinent hæc: Ἀλλὰ τῶν σωφρόνων καὶ ἐνδόξων γυναικῶν μνημονεύσαντες ὀλίγον, τὸν λόγον καταπαύσωμεν. ἴδε μοι γυναῖκα σώφρονα τὴν Σαρεφθίαν, &c. Quod autem in titulo homiliæ *bonæ* mulieres *malis* præponuntur, & περὶ καλῶν καὶ πονηρῶν γυναικῶν, non autem περὶ πονηρῶν καὶ καλῶν legitur, id non fit reſpectu ordinis, qui in ipsâ homiliâ ſervatur, ſed reſpectu dignitatis argumenti, de quo agitur. Et hæc quidem de titulo monuiſſe ſatis eſt: in ipſo autem homiliæ principio, ubi apud Savilium perperam legitur τρυφῇ περιχέουσα τῆς ἀληθείας διδάγματα, vel, ut in margine annotatum eſt τρυφῆς, ſine controverſiâ in duobus ſuprà memoratis Codicibus Cæſareis rectiùs legitur τροφὴν περιχέουσα. Veritatem enim hujus lectionis, tanquam genuinæ, ipſe confirmat homiliæ iſtius auctor repetitione ejuſdem ferè rationis loquendi, quæ in eâdem homiliâ aliàs occurrit his verbis: Ὁρᾷς τροφὴν θάνατον προξενοῦσαν; ὁρᾷς τροφὴν εἰς ᾅδην ἐκπέμπουσαν; Plura de hâc homiliâ in præſens addere ſuperſedeo, quoniam cætera, quæ huc pertinent, non poſſunt obiter ac curſim pertractari, ſed reſervanda ſunt *Supplemento Bibliothecæ SS. Patrum*, quod ex Auguſtiſſimâ Bibliothecâ Cæſareâ poſthac edere conſtitui. Redeo itaq; nunc ad R. P. Antonium Poſſevinum, in cujus Catalogo MStorum Codicum Græcorum Sacrorum ejuſdem Auguſtiſſimæ Bibliothecæ

Literâ G hæc leguntur:

Gemiſti Platonis Epitome Hiſtoriarum Sicularum. Quæ verba ſic mutanda ſunt: *Georgij Gemiſti Plethonis Epitome Hiſtoriarum Diodori Siculi.* Codex Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ, qui his verbis ſignificatur, eſt chartaceus in 4to, & inter Philoſophicos ac Philologicos Græcos MStos *octogeſimus.* Inſcriptio primi folij hæc eſt: Πλήθωνος ἐκ τῶν Διοδώρου τοῦ Σικελιώτου ἱστοριῶν περὶ τῆς Ἀσσυρίων καὶ Μήδων βασιλείας. Principium ipſius *Epitomes* ſeu potiùs *Excerptorum* hoc eſt: Τὸ παλαιὸν κατὰ τὴν Ἀσίαν ὑπῆρχον ἐγχώριοι βασιλεῖς, ὧν οὔτε πρᾶξις ἐπίσημος, οὔτε ὄνομα μνημονεύεται. πρῶτος δὲ τῶν εἰς ἱστορίαν καὶ μνήμην παραδεδομένων, Νῖνος ὁ βασιλεὺς τῶν Ἀσσυρίων μεγάλας πράξεις ἐπετελέσατο. γινόμενος γὰρ &c. Pertingit hæc Epitome uſq; ad fol. 20 p. 2. Quâ finitâ ſequitur in eodem Codice hæc Inſcriptio: Πλήθωνος ἐκ τῶν Διοδώρου καὶ Πλουτάρχου περὶ τῶν μετὰ τὴν ἐν Μαντινείᾳ μάχην ἐν κεφαλαίοις διάληψις. Principium hujus Narrationis hoc eſt: Μετὰ τὴν ἐν Μαντινείᾳ μάχην, ἐν ᾗ Ἐπαμινώνδας ὁ Θηβαῖος, βοιωταρχῶντε καὶ τὴν μάχην ἐκείνην ἐστρατηγηκὼς ἐτελεύτησεν, &c. Pertingit hæc narratio à fol. 20 pag. 2, uſq; ad fol. 42. p. 1. Sequitur inde novus hic titulus: Ἐκ τῶν Διοδώρου παρασημειώσεις. Ubi licet non ſit additum *Plethonis* nomen, minimè tamen dubium eſt, quin & hæc *Excerpta*, æquè ac quæ præcedunt, illius ſint. Principium hoc eſt: περὶ τὴν ἕκτην καὶ ἑκατοστὴν ὀλυμπιάδα Ἀλέξανδρος ὁ Φεραίων τύραννος ὑπὸ τῆς γυναικὸς τῆς ἑαυτοῦ Θήβης καὶ τῶν ταύτης ἀδελφῶν Λυκόφρονος καὶ Τισιφόνου ἀνῃρέθη. οἱ τὰ μὲν πρῶτα &c. Excerpta hæc pertingunt à fol. 42 p. 1 uſq; ad fol. 51 p. 2; ubi nova hæc legitur Inſcriptio: Πλήθωνος ἐκ τῆς Ἀππιανοῦ ἱστοριῶν· περὶ τῶν κατὰ Συρίαν μακεδονικῶν βασιλέων. Principium horum *Excerptorum* hoc eſt: Ἀλέξανδρος μὲν βασιλεὺς ἦν ἐπὶ Πέρσαις καὶ Σύρων, ὁ καὶ πάντων βασιλεὺς, ὁπόσων εἶδεν. Ἀλεξάνδρου δὲ ἀποθανόντος &c. Excerpta hæc pertingūt à fol. 51 pag. 2, uſque ad fol. 67. pag. 1. Extant præterea eodem Codice à fol. 101 pag. 1 uſque ad fol. 109 pag. 2, Excerpta ἐκ τῶν Αἰλιανοῦ περὶ ζώων ἰδιότητος, quem ejuſdem *Georgij Gemiſti Plethonis* eſſe perſuaſiſſimum habeo. Cæterùm, ut ad falſum *Hiſtoriarum Sicularum* titulum revertar, paucis addo, erroris occaſionem R. P. Poſſevino præbuiſſe *Joannem Jacobum Friſium*, qui in Bibliothecâ ſua Univerſali ejuſdem Codicis MSti ita meminit: *In Bibliothecâ Imperatoriâ Viennæ habetur Gemiſti Plethonis Epitome Hiſtoriarum Sicularum*

larum græcè manuſcr. in 4to. Corrigenda igitur hæc *Friſiana* verba ſunt ad eundem modum, uti paulo antè de *Poſſevino* monui. Hinc porrò apparet, meritò iſtum titulum jam pridem ſuiſſe ſuſpectum V. CL. *Leoni Allatio*, cujus in Diatribâ de *Georgijs*, ubi *Georgij Gemiſti Plethonis* ſcripta recenſentur, eâ de re hæc verba ſunt: *Epitome hiſtoriarum Sicularum, ni fallit titulus, quem tamen & epitomatores Geſneriani agnoſcunt. In Bibliothecâ Imperatoris Viennæ Auſtriæ. Poſſevinus in Indicibus.* Hæc Allatius. Quibus miſſis, ad Poſſevinianum redeo Bibliothecæ Cæſareæ Catalogum, ubi

Eâdem Litera G hæc leguntur:

Georgij Nicodij de Cruce. Quæ verba ſic mutanda ſunt: *Georgij Nicomediæ Archiepiſcopi liber de Cruce* Hauſit enim hæc *Poſſevinus* more ſuo ex *Ioannis Iacobi Friſij* Bibliothecâ Univerſali, ubi iſtius Codicis mentio fit his verbis: *Georgij Nicomediæ Archiepiſcopi de Cruce, quem falsò quidam Pſello adſcripſere, græcè MSt. in 4to, in Bibl. Imp. Viennæ.* Hæc Friſius. Quod ad me autem attinet, ingenuè fateor, me nec hunc, nec ullum alium librum *Georgij Nicomedienſis* nomine inſcriptum, in Bibliothecâ Cæſareâ hactenùs reperiſſe. Dabo tamen, quantum in me erit, operam, ut, ſicubi iſtic adhuc latitet, tandem aliquando inveniam. Interim valdè mihi placet conjectura V. CL. *Leonis Allatij*, qui per librum hunc *Georgij Nicomedienſis de Cruce*, quem alij *Michaeli Pſello* attribuerunt, ſignificari exiſtimat *Michaelis Pſelli Orationem in* σαύρωσιν ſive *crucifixionem Chriſti.* Ipſa ejus verba in Diatribâ de *Georgijs* pag. 313, ubi *Georgij Nicomedienſis* ſcripta recenſentur, hæc ſunt: *Georgij Nicomediæ Archiepiſcopi de Cruce; quem falsò quidam Pſello adſripſere, græce MSt, in 4to. Biblioth. Imp. Viennæ. Epitome Geſneriana. Miror præteritam à diligentiſſimo Gretſero. Et quinam hi erunt, qui Pſello tribuunt? In codice meo ſatis antiquo, lacero, exeſoq; habetur oratio Michaelis Pſelli,* εἰς τὴν σαύρωσιν τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. *In Crucifixionem Domini noſtri* JESU CHRISTI. *Principium:* τὸν τοῦ σαυροῦ λόγον ὁ μὲν θεῖος ἀπόστολος τοῖς μὲν ἀπολλυμένοις μωρίαν τίθεται; *ſatis prolixa & elegans, lacera tamen, & ipſa, quâ ſane nihil in eo argumento vidi accuratius aut gravius, quod & adnotavit in ejus principio neſcio quis:* ἔστι δὲ καὶ οὗτος τῶν πάνυ ἐξαιρέτων *Eſt autem & hæc oratio præſtantiſſima. Eam tamen hujus Georgij non eſſe, ſtylus ipſe & modus rerum tractandarum arguit, quæ evidentiſſime Pſello vindicant.* Hucuſq; Allatius; cujus conjectura hæc, uti anteà dixi, valdè mihi videtur probabilis.

Eâdem

Eâdem Poſſeviniani Catalogi Literâ G hæc leguntur: *Georgij Metbinenſis de Paſſione Domini noſtri* Jesv Christi. Quæ verba *Poſſevinus* ſine dubio deſcripſit ex Bibliothecâ Univerſali *Ioannis Iacobi Friſij*, ubi ejuſdem orationis fit mentio his verbis: *Georgij Metbiminenſis oratio de Paſſione Domini noſtri* Jesv Christi; *4to græcè manuſcript. in Bib. Imp. Viennæ.* Hæc Friſius. Verumenimverò tàm apud *Friſium*, quàm apud *Poſſevinum* pro *Metbiminenſis* & *Metbinenſis* ſcribendum eſt *Mytilenenſis* ſive *Mytilenæi*. Codex Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ, qui his verbis ſignificatur, eſt chartaceus in 4to, & inter Theologicos Græcos MStos *ducenteſimus nonageſimus nonus*, fuitq́ue olim *Ioannis Sambuci*. Oratio enim illa *Georgij Mytilenæi de paſſione Chriſti* extat ibi à fol. 86 pag. 1 uſq; ad fol. 89 pag. 1. Inſcriptio ejus hæc eſt: Τοῦ μακαριωτάτου πατρὸς ἡμῶν Γεωργίου Μυτιληναίου λόγος εἰς τὰ ἅγια πάθη τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, Principium autem hoc eſt: Σήμερον ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ἐν τῷ σταυρῷ, καὶ ἡμεῖς ἑορτὴν ἄγωμεν. σήμερον ἡ κτίσις ὅλη τρέμει καὶ κλονεῖται διὰ τὴν παρανομίαν τῶν Ἰουδαίων, &c. Meminit hujus orationis etiam *Allatius* in Diatriba de *Georgijs* his verbis: *Georgij Mytilenæi in ſalutiferam Domini noſtri* Jesv Christi *paſſionem Homilia edita eſt græcè & latinè Tom. 2. de Cruce à Iacobo Gretſero pag. 659, de quâ nihil aliud dixerim, præterquam ipſius Gretſeri verba, eam piam eſſe, cæterùm non magni pretij; à librario itidem, qui Codicem Viennenſem exaravit, peſſimis modis mutilatam. Neq; hic alius ab illo eſt, ſi conjectura non fallit, quem inter Libros Bibliothecæ Imperatoris extare dicit Poſſevinus in Indice dictæ Bibliothecæ: Georgij Metbinenſis de Paſſione Domini noſtri* Jesv Christi. *Et Epitomatores Geſneriani: Georgij Metbiminenſis de paſſione, &c.* Hactenus Allatius. Quod ſupereſt, hoc quoque obiter addo, extare eodem Codice inter Theologicos Græcos MStos *ducenteſimo nonageſimo nono* à fol. 91 pag. 2 uſque ad fol. 107 pag. 1. *Ioannis Stauratij Chartophylacis Theſſalonicenſis Orationē de miraculis S. Demetrij Proconſulis*, qui, ut Martyrologij Romani *die VIII Octobris* legitur, cùm plurimos ad Chriſti fidem perduceret, Maximiani Imp. juſſu Theſſalonicæ lanceis confoſſus, martyrium conſummavit. Meminit enim hujus orationis, tanquam in Bibliothecæ Cæſareæ Codice MSto extantis, & *nondum editæ*, Ioannes Iacobus Friſius in Bibliothecâ Univerſali his verbis: *Ioannis Stauratij oratio de Beato Demetrio, in 4to manuſcript. in Bibl. Imp. Viennæ.* Eadem quoq; leguntur apud *Poſſevinum* in Apparatu Sacro; unde ea porrò V. CL. *Gerardus Ioannes Voſſius* in librum tertium de Hiſtoricis Græ-

cis

cis tranſtulit hoc modo: *Ioannes Stauratius orationem reliquit de B. Demetrio, quæ MSta extat in Bibliothecâ Cæſareâ Viennæ, teſte Poſſevino in Apparatu.* Hujus itaq; Orationis in jam memorato Codice Inſcriptio & principium ita ſe habent: Ἰωάννου Χαρτοφύλακος Θεσσαλονίκης τοῦ (1) Σταυρακίου λόγος εἰς τὰ θαύματα τοῦ μυροβλύτου καὶ μεγάλου Δημητρίου. Ὁ λόγος τῷ μυρορρόᾳ Δημητρίῳ τὰ θαύματα. ποῦ γὰρ δίκαιον τὴν τοσαύτην τῶν θαυμάτων πηγὴν μὴ καὶ λόγοις δημοσιεύεσθαι, καὶ διηγήμασιν ἐπ' ἐκκλησίας παῤῥησιάζεσθαι, καὶ ταῖς Χριστονύμων ἀκοαῖς τὸν τοσοῦτον πλοῦτον ἐνθησαυρίζεσθαι. εἰ γὰρ πᾶσα φύσις, &c. Finito hoc integrorum *trium* foliorum exordio, ſequitur fol. 95 pag. 1 ipſa miraculorum narratio his verbis: Ἀρχόμεθα οὖν τὰ τοῦ παμμεγίστου μάρτυρος θαύματα. Νεωκόρος τις ὀνόματι Ὀνησιφόρος ἐπεπίστευτο τοῦ μάρτυρος καὶ μεγάλου Δημητρίου τὴν λάρνακα, &c. Hanc igitur *Ioannis Stauracij de S. Demetrio orationem,* quæ hactenùs, quod ego quidem ſciam, nondum in lucem prodijt, digniſſima autem eſt, quæ quàm primùm publicetur, integram græcè & latinè exhibebo in *Supplemento Hiſtoriarum de Vitis & Miraculis Sanctorum,* quod ex Auguſtiſſimâ Bibliothecâ Cæſareâ, volente Deo, poſthac edere conſtitui. Interim notandum eſt, in jam citatâ Orationis *Stauracij* Inſcriptione & principio *S. Demetrium* cognominari μυροβλύτον, hoc eſt, *ſcaturientem* ſive *fundentem unguentum*, & (2) μυρορρόαν, h. e, *unguentifluum*, quia *Theſſalonicæ* ad ipſius ſepulchrum unguentum medicum jugiter ſcaturire conſueverat; quare & frequens olim eò fuit concurſus Chriſtianorum; uti teſtantur complures antiqui Autores, quos eâ de causâ in Notis ſuis ad Martyrologij Romani diem VIII Octobris citat Em. Card. Baronius. Id quoque adijciendum videtur, in eodem Codice 299 jam memoratæ Orationi, à fol. 107 pag. 1. uſque ad fol. 112 pag. 2, ſubjungi *Martyrium* ejuſdem *S. Demetrij,* quod à *Laurentio Surio* tribuitur *Simeoni Metaphraſtæ,* & latinè verſum extat Tomo ipſius Quinto de probatis Sanctorũ Hiſtorijs. Inſcriptio Codicis Cæſarei (3) abſq; nomine autoris hæc eſt: Μαρτύριον τοῦ ἁγίου μεγαλομάρτυρος Δημητρίου τοῦ μυροβλύτου. Principium autem hoc eſt: Εἶχε μὲν τὰ τῶν Ῥωμαίων σκῆπτρα Μαξιμιανὸς ὁ Ἑρκύλιος πολὺ κατὰ Χριστιανῶν πνέων καὶ φερόμενος, εἰδωλικῆς ὢν πλάνης, &c. Et hæc quidem in præſens ſufficiant de Codice inter Theologicos Græcos MStos *ducenteſimo nonageſimo nono,* cujus Poſſevinus meminit in Catalogo Codicum Sacrorum Bibliothecæ Cæſareæ, ubi agitur de

(1) *Cùm græcè ſcribatur* Σταυράκιος *per* κ, *non autem per* τ, *neceſſariò ſequitur, etiam latinè* Stauracius *per* c, *non autem per* t *ſcribendũ eſſe.*

(2) *Similiter* Pactolus *fluvius cognominatur ab antiquis Scriptoribus* Χρυσορρόας, *h. e.* Χρυσόῤῥυτος *ſive* auriflus.

(3) *Similiter quoque &* Photius *hujus martyrij meminit* ſine nomine Autoris *Cod.* CCLV. *Vnde rectè colligitur, autorẽ ejus nõ eſſe* Simeonẽ Metaphraſten, *ſed alium quendam* Anonymũ, *tàm* Photio. *quàm* Metaphraſte *antiquiorem.*

Georgio Mytilenæo, quem is perperam *Methinenſem* nuncupat.

Eâdem Litera G. hæc leguntur:

Græcus Codex mutilus, totus enarrationes habens in aliquot capita Geneſis.

Quibus verbis ſignificatur Codex membranaceus antiquiſſimus optimæq; Notæ in fol, qui inter Theologicos Græcos MStos eſt *quadrageſimus ſextus*, & à *Busbeckio* olim fuit comparatus *Conſtantinopoli*. Extant ibi à fol. 61 pag. 2, uſque ad fol. 141 pag. 2, *Joannis Philoponi libri ſeptem Commentariorum in caput primum Geneſeos* ſive *Hiſtoriam Hexaemeri*, quos unà cum ejuſdem *Philoponi Diſputatione de Paſchate*, quæ à fol. 142 pag. 1 uſque ad fol. 146 pag. 1 ibidem extat, primus omnium V. CL. *Sebaſtianus Tengnagelius* curavit ex vetuſtiſſimo hoc Codice græcè & latinè in lucem edi per R. P. *Balthaſarem Corderium* è Soc. JESV Vindobonæ typis Gregorij Gelbhaar A. 1630 in 4to. Deeſt quidem in Codice illo MSto *Ioannis Philoponi nomen*, ſed feliciſſimè illud indagavit jam memoratus *Tengnagelius* beneficio *Photij* Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui in Bibliotheca librorum à ſe lectorum Opus hoc *Philoponi in Hexaemeron* non tantùm Codice XLIII recenſet & laudat, verùm etiã Codice CCXL *Excerpta* quædam ex eo exhibet. Teſtatur hoc ipſe *Corderius* in Præfatione ad Lectorem his verbis: *Ioannes Philoponus, celeberrimus iſte Grammaticus Alexandrinus, cui ob labores aſſiduos Philopono inditum eſt cognomentum, vixit circa annum Chriſti ſexcenteſimum quartum tempore Phocæ Imperatoris. Hujus, Suidâ teſte, quamplurima ſunt in Grammaticis, in Philoſophiâ, in Arithmetica, in Rhetoricâ & in Literis Divinis opera; tùm contra duo deviginti Procli argumenta, & contra Severum, quibus inſignem ſibi gloriam comparaverat, niſi ſuo nimis fidens ingenio in varios errores impegiſſet, (uti Photius ait,)* ἀπερισκέπτως *ſcribendo adverſus quartam Synodum Oecumenicam; &, uti Nicephorus tradit lib. 18 cap. 47, negando reſurrectionem mortuorum, & Tritheitæ notam incurrendo. Verùm quicquid ſit de alijs ejus operibus errore adſperſis, præſens certè opuſculum ab omni labe purum eſt, de quo Photius ſub initium Bibliothecæ ſcribit in hac verba:* Ἀνεγνώσθη Ἰωάννου τοῦ Φιλοπόνου εἰς τὴν Ἑξαήμερον. ἔστι δὲ ἐν τούτῳ τῷ βιβλίῳ καθαρὸς καὶ σαφὴς, καὶ κρείττων τῇ λέξει ἑαυτοῦ, καὶ συμφωνῶν σχεδὸν ἐν τοῖς πλείστοις Βασιλείῳ τῷ Μεγάλῳ. ἀντιπίπτων δὲ δι' ὅλου τῷ Μοψυεστίας Θεοδώρῳ, ὃς τὴν αὐτὴν ὑπόθεσιν ἐνστησάμενος, ἑρμηνείαν τῆς κτίσεως τὸ βιβλίον ἔγραψεν, οὗ τὰς δόξας διελέγχων ὁ Φιλόπονος τὴν ἐναντίαν ἐτράπετο. *Hoc eſt:* Lectus eſt à me

Joannes

Joannes Philoponus in Hexaemeron. Eſt autem in hoc libro purus ac perſpicuus & præſtantior ſtylo ſuo, atque conſentiens ferè in pleriſq; cum Baſilio Magno. Refutat verò ubiq; Theodorum Mopſveſtenum, qui idem argumentum tractans, inſcripſerat librum ſuum Expoſitionem Creationis: cujus opiniones Philoponus refellens, contrariam viam tenuit. *Hujus ergo pulcherrimi Tractatus antiquiſſimum exemplar Græcum MStum ex S. Cæſ. Majeſtatis Bibliothecâ per ejuſdem Præfectum D. Sebaſtianum Tengnagelium, virum doctiſſimum & linguarum Orientalium peritiſſimum nactus, (qui exemplar iſtud, uti alia pleraq; ſtudioſè perlegerat, & ex argumento ac ſtylo, etiam ſuppreſſo nomine, Philoponi eſſe cognoverat,) ejuſdem ſuaſu & hortatu, horis, uti ſoleo, ſubciſivis, αὐτοχειρὶ deſcripſi, &, ut à pluribus legeretur, latinè verti, quo jam publici juris facto, utere fruere.* Hæc Corderius. Notandum autem eſt, ipſum in primâ hac iſtius Operis editione impreſſâ nonnullis locis à verâ lectione & verſione contextus Græci aberaſſe, ut vel ex ipſo *titulo* videre eſt, qui vulgò ſic legitur: Ἰωάννου τοῦ Φιλοπόνου περὶ Κοσμοποιΐας Λόγοι ἑπτά. At in ipſo Codice MSto Inſcriptio libri primi hæc eſt: Τῶν εἰς τὴν Μωϋσέως κοσμογονίαν ἐξηγητικῶν λόγος πρῶτος. Unde ſequitur, *titulum totius Operis* generalem, qui ibi nunc deeſt, ita olim conceptum fuiſſe: Ἰωάννου τοῦ Φιλοπόνου εἰς τὴν Μωϋσέως κοσμογονίαν ἐξηγητικοὶ λόγοι ἑπτά. Quâ quidem de re uberiùs agam in *Supplemento Bibliothecæ SS. Patrum*; utpote ubi hoc *Ioannis Philoponi* Opus ex eodem antiquiſſimo Codice MSto cum neceſſarijs quibuſdam *Notis* & *Animadverſionibus* ſecundâ vice exhibebo. Notandum porrò eſt, non audiendum eſſe *Poſſevinum*, dum ſuprà citato Catalogi Bibliothecæ Cæſareæ loco ſcribit, *totum* illum Codicem, inter Theologicos Græcos MStos *quadrageſimum ſextum*, nihil aliud continere, quàm *enarrationes in Geneſin*. Complectitur enim alia præclara multa, uti in jam memorato *Supplemento Bibliothecæ SS. Patrum*, ex Auguſtiſſimâ Bibliothecâ Cæſareâ poſthac edendo, luculenter apparebit. Interim nunc in anteceſſum pauca hæc præmitto. Codex hic tàm in principio, quàm in fine præ vetuſtate *mutilus eſt.* A folij autem illius, quod nunc *primum* eſt, paginâ primâ uſque ad fol. 61 pagina 1 continet is antiquiſſimi cujuſdã anonymi Autoris *Propheticarum Eclogarum de Chriſto libros quatuor hactenùs ineditos.* Titulus primi libri, qui ſine dubio nomen autoris continuit, unà cum Indice capitum, Prologo, capite primo & parte aliquâ ſecundi capitis, deeſt. Diviſus autem eſt hîc primus liber in *capita viginti quinq;* quibus recenſentur & explicantur Teſtimonia Prophetica de Chriſto, quæ extant in *Hiſtoricis* Veteris Teſtamenti libris. Ca-

 pitis

pitis *tertij* principium hoc eſt: Πρῶτος ἀναγέγραπται γενόμενος χρηματισμὸς τῷ Ἀβραάμ, ὅτε εἶπεν αὐτῷ Κύριος. ἔξελθε ἐκ τῆς γῆς σου, &c. *Ultimi* autem capitis inſcriptio eſt hæc: Ἐκ τοῦ Ἔσδρα. ὁ Ζοροβάβελ ἐν τῇ δημηγορίᾳ ταῦτα φησι. Ἄνδρες, οὐχὶ ἰσχυραὶ αἱ γυναῖκες; μεγάλη ἡ γῆ, καὶ ὑψηλὸς ὁ οὐρανός, &c. Finis deniq; *primi* hujus libri ita ſe habet: Ἀλλὰ γὰρ ταῦτα καὶ ἀπὸ τῆς τοῦ Ἔσδρα γραφῆς. ἀπό γε μὴν τῆς Ἐσθὴρ οὐδὲν εὕρομεν περὶ τοῦ προκειμένου. μεταδῆτοι τὰς ἀπὸ τῶν ἱστορικῶν γραφῶν ἐκλογάς, μετίωμεν ἐπὶ τὰ στιχηρά, ὅτι δὴ ταῦτα τοῖς χρόνοις τῶν λοιπῶν προφητειῶν ἡγεῖται. τούτων δὲ πρῶτα ἴδωμεν τὰ ἀπὸ τῶν ψαλμῶν. Sequitur deinde liber *ſecundus*, qui diviſus eſt in capita 45, quibus recenſentur & explicantur Teſtimonia Prophetica de Chriſto, quæ extant in *Pſalmis*. Inſcriptio *Indicis capitum* hæc eſt: Τάδε ἔνεστι κεφάλαια ἐν τῷ β τῶν περὶ τοῦ Χριστοῦ προφητικῶν ἐκλογῶν. Ἀπὸ τῶν ψαλμῶν. α. Πρώτου ψαλμοῦ. περὶ τοῦ ἀνεπιλήπτου βίου τοῦ Χριστοῦ, καὶ περὶ τῆς ἐπ' ἄκρον ἀρετῆς πολιτείας αὐτοῦ. β. περὶ τοῦ πάθους τοῦ Χριστοῦ &c. *Principium* ipſius libri hoc eſt: περιγράψαντες τὰς ἀπὸ τῶν ἱστορικῶν γραφῶν περὶ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν μαρτυρίας, ἑξῆς ἐκείναις τὰς ἀπὸ τῶν στιχηρῶν ἐν δευτέρᾳ ταύτῃ συντάξει τῶν ἐκλογῶν ἀπανθισάμενοι παραθήσομεν, ὅτι δὴ ταῦτα τοῖς χρόνοις τῶν λοιπῶν προφητειῶν ἡγεῖται. καὶ δὴ πρώτας τὰς ἀπὸ τοῦ βίβλου τῶν ψαλμῶν ἐπισκεψώμεθα. Ψαλμοῦ α. Μακάριος ἀνὴρ &c. *Finis* hujus libri ſecundi hic eſt: τοσαῦτα μὲν δὴ τὰ ἀπὸ τῶν ψαλμῶν. μετρίαν δὲ καὶ αὐτάρκη τοῦ λόγου περιγραφὴν εἰληφότος, ἐξ ἑτέρας ἀρχῆς τὰς ἀπὸ τῶν λοιπῶν στιχηρῶν, καὶ ἑξῆς τὰς ἀπὸ τῶν προφητῶν ἐκλογὰς ποιησόμεθα. Hinc ſequitur liber *tertius*, qui æquè ac præcedens diviſus eſt in capita *quadraginta quinq;*, quibus recenſentur & explicantur reliqua Veteris Teſtamenti Teſtimonia Prophetica de Chriſto, quæ extant in *Proverbijs Salomonis*, *Eccleſiaſte* & *Cantico Canticorum*; nec non in libro *Jobi*, & apud Prophetas *Oſeam*, *Amoſum*, *Abdiam*, *Jonam*, *Michæam*, *Sophoniam*, *Zachariam*, *Haggæum*, *Jeremiam*, *Baruchum*, *Ezechielem* & *Danielem*. Inſcriptio *Indicis capitum* hujus libri hæc eſt. Τάδε ἔνεστιν ἐν τῷ γ τόμῳ τῶν περὶ τοῦ Χριστοῦ προφητικῶν ἐκλογῶν. πρῶτον κεφάλαιον ἀπὸ τῶν παροιμιῶν. Περὶ τοῦ Θεοῦ λόγου ὡς περὶ σοφίας οὐσιωδῶς ὑφεστώσης καὶ πρὸ τῶν αἰώνων ὑπὸ τοῦ Θεοῦ (1) κτισθείσης, ἑτέρας τε παρ' αὐτὸν οὔσης, καὶ σὺν αὐτῷ τῶν ὅλων ἐπιμελουμένης. Τῶν παροιμιῶν β. Περὶ τοῦ Χρι-

(1) *Arrianiſmus* Euſebij Cæ-

ςοῦ ὡς

ςοῦ ὡς περὶ υἱοῦ βασιλέως &c. *Principium* ipſius libri hoc eſt: Μετὰ δὴ τὰς ἀπὸ τῶν ψαλμῶν ἐκλογὰς, τὰς ἀπὸ τῶν λοιπῶν ςιχηρῶν καὶ τὰς ἑξῆς προφητειῶν ἐν τρίτῳ τούτῳ συγγράμματι τῶν περὶ τοῦ Χριςοῦ προφητικῶν ἐκλογῶν, ὀγδόῳ ὄντι τῆς καθόλου ςοιχειώδους εἰσαγωγῆς, ἀναλεξόμεθα &c. *Vltimo* hujus libri capite, quod inſcribitur Ἀπὸ τοῦ Δανιὴλ περὶ τῶν ἑβδομήκοντα ἑβδομάδων, hoc eſt, *Ex Daniele de ſeptuaginta hebdomadibus*, citatur inſignis & ſatis prolixus locus ex *Sexti Iulij Africani* vetuſtiſſimi Chriſtianorum Chronographi, qui (2) initiò *tertij* poſt Chriſtum ſeculi potiſſimùm floruit, *libro* (3) *quinto Chronographiæ* hoc modo: μόνον ἴσμεν Ἀφρικανὸν ἀκριβέςατα καὶ μᾶλλον παρὰ τοὺς λοιποὺς ἐπιτετευγμένως τεθεωρηκότα· καὶ δή μοι δοκεῖ ἀναγκαῖον εἶναι, πρῶτον αὐτοῦ τὴν εἰς τοὺς τόπους διήγησιν εἰς μέσον ἀγαγεῖν, εἶθ᾽ οὕτως ἐπισκέψασθαι, εἴ τι ἄρα καὶ αὐτοὶ δυνάμεθα συμβάλλεσθαι τῷ λόγῳ. γράφει δὴ οὖν ἐν πέμπτῳ τῶν χρονογραφιῶν κατὰ λέξιν οὕτως.

ΑΦΡΙΚΑΝΟΥ.

Ἡ Μὲν οὖν περικοπὴ οὕτω πως ἔχουσα πολλά τε καὶ παράδοξα σημαίνει. νῦν δ᾽ ἂν χρεία περί τε τοὺς χρόνους καὶ τὰ τούτοις συντείνοντα τὸν λόγον ποιησόμεθα. ὅτι μὲν οὖν περὶ τῆς τοῦ Χριςοῦ παρουσίας λέγεται ταῦτα μετὰ ἑβδομάδας ο μέλλοντος ἐπιφαίνεσθαι δῆλον. ἐπὶ γὰρ τοῦ Σωτῆρος &c. Finis *tertij* iſtius libri hic eſt: Ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἐπιτεμόμενοι τὴν διήγησιν παραιτεθείμεθα. ὥρα δὲ ἤδη μετελθεῖν καὶ ἐπὶ τὸν Ἡσαΐαν, ὃς μόνος ἀπὸ πάσης τῆς παλαιᾶς ἡμῖν περιλέλειπται γραφῆς. Poſt hæc verba incipit Propheticarum illarum Eclogarum de Chriſto liber *quartus* & *ultimus*, qui diviſus eſt in capita *triginta quinq;*, quibus recenſentur & explicantur teſtimonia Prophetica de Chriſto, quæ extant apud *Iſaiam*. Hæc enim præcedenti libro *tertio* propter multitudinem de induſtriâ omiſſa ſunt, quia Autor harum Eclogarum *peculiari libro* de ijs agere conſtituerat, ut ipſe poſt enarrationem teſtimoniorum Prophetæ *Haggai* ibi teſtatur his verbis: Ταῦτα μὲν τὰ ἀπὸ τῶν δώδεκα προφητῶν. ἀλλ᾽ ἐπεὶ τὰ ἐκ τοῦ Ἡσαΐου διὰ τὸ πλῆθος ἐν ἰδίῳ συγγράμματι περιλαβεῖν ἡμῖν πρόκειται, φέρε μεταβάντες τὰ ἀπὸ τῶν λοιπῶν μεγάλων προφητῶν ἐπισκεψώμεθα. Hæc Autor ille libro *tertio*. *Quarti* autem libri principium hoc eſt:

ſarienſis manifeſtus, de quo cõſulenda eſt Photij *Patriarchæ CPni Bibliotheca Codice, XIII, ubi teſtatur, Chriſtũ ab Euſebio appellari* δεύτερον αἴτιον *ſive* ſecundã cauſam.

(2) *Apud* Gotefridũ Viterbienſem, *ubi vulgò perperã legitur, Iulianum Africanũ vixiſſe* ſub Marco Craſſo, *ſine dubio ſcribendum eſt* ſub Macrino.

(3) *Plura* Julij Africani *loca ex eodem libro* quinto, *ad Danielis Prophetiã* de LXX hebdomadibus *pertinentia extãt apud eundẽ* Euſebiũ Cæſarienſẽ, *qui ſine controverſiá verus harũ Eclogarum auctor eſt, in reliquijs Græcis Chronicorum ipſius Canonum à* Joſepho Scaligero *primum editis.*

ἩΣΑΪΟΥ.

ΤΑ'ς ἀπὸ τῶν Ἡσαΐου προφητικὰς ἐκλογὰς, μόνας ἡμῖν λειπούσας ἀπανθίσαι πειρώμενοι, πρὸς τοὺς ἀπίστως περὶ τὰς προφητείας διακειμένους ὀλίγα προδιαλεψόμεθα εἰς παράστασιν τῆς τῶν προφητῶν ἀληθείας. καὶ δὴ πρῶτον, &c. *Finis* demum libri hujus *quarti*, & ſimul univerſi Operis Eclogarum Propheticarũ de Chiſto hic eſt: Τοσαῦτα καὶ τὰ ἀπὸ τοῦ Ἡσαΐου. ἀλλὰ γὰρ ἐν τέσσαρσι καὶ τὴν τῶν ἐκλογῶν ὑπόθεσιν ἐν τῷ τῆς καθόλου στοιχειώδους εἰσαγωγῆς ἐννάτῳ τούτῳ συγγράμματι περιγράψαντες, ἐν τῷ δεκάτῳ τοῖς ἀπὸ τῶν ἀθέων αἱρέσεων τὸν λογισμὸν ἀποβεβλαμμένοις, ἑτέραν ἁρμόζουσαν ἔφοδον παρασχεῖν πειρασόμεθα. Ubi in primis notandum eſt, promitti hîc ab eodem autore etiam aliud opus *contra Hæreſes atheas* deinceps edendum. Quod reliquum eſt, ſi quis jam hîc ex me quærat, quem ego jam memoratarum *Propheticarum Eclogarum de Chriſto autorem* exiſtimem, conſtanter pronuntio & affirmo, earum *verum autorem* certò & ſine ullâ controverſiâ eſſe *Euſebium Pamphili, Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopum*, cujus præter *Hiſtoriam Eccleſiaſticam*, *Chronicorum Canonum omnimodæ Hiſtoriæ libros duos*, *Præparationis Evangelicæ libros quindecim*, aliaque ſcripta, *decem* ſuperſunt *libri* magni illius Operis *de Demonſtratione Evangelicâ*, quod ipſe olim, teſte *S. Hieronymo* de Scriptor. Eccleſ. cap. 81, in *viginti libros* diviſerat. Evidentiſſimè enim hoc apparet, cùm ex *plurimis alijs indicijs*, quæ paſſim in hoc Eclogarũ Propheticarum Opere occurrunt, tùm inprimis ex *ſtylo*, & *methodo* tractandi hujus argumenti, quæ eadem prorſus eſt, atque *libri ſecundi Demonſtrationis Evangelicæ*, ubi Propheticis Veteris Teſtamenti teſtimonijs contra Judæos confirmat, *quòd Chriſtiani non caſu neq; temerè Propheticos Hebræorum libros omni ſtudio amplexi ſint, ſed quoniam Prophetæ multifariàm prædixerunt, fore ut per adventum Chriſti omnes gentes cognitionem & cultum ejus Dei, qui olim à Iudæis ſolis cognoſcebatur, acciperent.* Hi igitur *Euſebij Cæſarienſis Propheticarum Eclogarum de Chriſto libri quatuor hactenùs inediti* extant, ut ſuprà indicavi, in Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ Codice inter Theologicos Græcos MStos *quadrageſimo ſexto* à fol. 1 pag. 1 uſque ad fol. 61 pag. 1, & in *Supplemento Bibliothecæ SS. Patrum*, ex eâdẽ Auguſtiſſimâ Bibliothecâ poſthac edendo, optimâ fide à me publicabuntur, ut quilibet pro lubitu de ijs poſſit judicare. Cæterùm, finitis jam memoratis Euſebij Pamphili Eclogarum Propheticarum de Chriſto libris quatuor,

tuor, ſequitur in eodem Codice Index capitum librorum ſeptem *Ioannis Philoponi in Hexaemeron* ſive *Caput primum Geneſeos*, qui pertingunt à fol. 61 pag. 2, uſq; ad fol. 141 pag. 2; Quibus porrò à fol. 141 pag. 2, uſque ad fol. 146 pag. 1 ſubjungitur ejuſdem *Ioannis Philoponi Diſputatio de Paſchate* à Corderio edita. Sequuntur deinde à fol. 146 pag. 2, uſque ad fol. 154 pag. 2, *Philonis Hebræi* Opuſcula quædam ſub hac Inſcriptione:

ΤΆΔΕ ἜΝΕΣΤΙΝ
ΦΊΛΩΝΟΣ.

Περὶ τῆς κατὰ Μωυσέα κοσμοποιΐας.
Τῶν ἐν Γενέσει Ζητημάτων καὶ λύσεων α. β. γ. δ. ε.
Περὶ τῶν τοῦ δοκησισόφου Κάϊν ἐγγόνων, καὶ ὡς μεταναστης γίγνεται.
Περὶ τῶν δέκα λογίων.
Περὶ τῶν ἀναφερομένων ἐν εἴδει νόμων εἰς β γένη τῶν δέκα λογίων τὸ ϛ καὶ ζ, τό τε κατὰ μοιχῶν καὶ παντὸς ἀκολάστου, καὶ τὸ κατὰ ἀνδροφόνων καὶ πάσης βίας· καὶ τὸ η, καὶ θ, καὶ ι, τὸ περί τοῦ μὴ κλέπτειν, καὶ ψευδομαρτυρεῖν, καὶ μὴ ἐπιθυμεῖν, καὶ περὶ τῶν εἰς ἕκαστον ἀναφερομένων· καὶ περὶ δικαιοσύνης, ἣ πᾶσι τοῖς δέκα λογίοις ἐφαρμόζει· ὅ ἐστιν τῆς ὅλης συντάξεως.

Principium *primi* horũ opuſculorum ita ſe habet: Τῶν ἄλλων νομοθετῶν οἱ μὲν ἀκαλλώπιστα, &c. Tandem verò poſt *Philonis* hæc opuſcula à fol. 155 pag. 1 uſque ad fol: 250 pag. 2, ſequuntur *S. Cyrilli Epiſcopi Hieroſolymitani Catecheſes, tàm extemporaneæ ad Illuminatos, quàm Myſtagogicæ ad eos qui recens erant baptizati.* Inſcriptio *primæ* Catecheſeos hæc eſt: Κυρίλλου Ἐπισκόπου Ἱεροσολύμων Κατήχησις α βαπτιζομένων ἐν Ἱεροσολύμοις σχεδιασθεῖσα εἰσαγωγικὴ τοῖς προσελθοῦσιν. καὶ ἀνάγνωσις ἐκ τοῦ Ησαΐου· λούσασθε καθαροὶ γίνεσθε, ἀφέλετε τὰς πονηρίας ἀπὸ τῶν ψυχῶν ὑμῶν ἀπέναντι τῶν ὀφθαλμῶν μου, καὶ τὰ ἑξῆς. *Secundæ* Catecheſeos Inſcriptio hæc eſt: Κατήχησις β φωτιζομένων ἐν Ἱεροσολύμοις σχεδιασθεῖσα περὶ μετανοίας, &c. Obſervatu videlicet digniſſimum hîc eſt, in antiquiſſimo hoc & optimæ notæ membranaceo Codice MSto *Catecheſes* illas tàm *Illuminatorum*, quàm *Myſtagogicas* manifeſtiſſimo & prorſùs

ſùs incorrupto teſtimonio attribui *S. Cyrillo Epiſcopo Hieroſolymitano.* Fruſtrà enim hoc *Robertus Cocus* & *Andreas Rivetus* in dubium vocare auſi ſunt; quâ de re in primis conſulenda eſt R. P. Philippi Labbe Diſſertatio Hiſtorica de Scriptoribus Eccleſiaſticis, ubi de *S. Cyrillo Hieroſolymitano* agitur. Ego verò ad *Poſſevinum* redeo, apud quem jam memorati Catalogi Sacrorum Codicum MStorum Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ

Eâdem Literâ G. hæc leguntur:

Gregorij Nicetæ Epiſtolæ de creatione hominis. Quæ verba ſic mutanda ſunt: *Gregorij Nyſſeni Epiſcopi de creatione hominis liber.* Quinam autem illi ſint Codices Bibliothecæ Cæſareæ, qui hoc loco ſignificantur, ſuprà abundè indicavi partim ipſius Epiſtolæ meæ præcedentis Segmento (1) *quadrageſimo quinto*, partim autem Additamento ejuſdem Epiſtolæ (2) *primo* de S. Gregorij Nyſſeni Opere de creatione hominis.

(1) *Vide ſuprà pag.* 43 & 44.
(2) *Vide ſuprà pag.* 97. 98. 99. 100.

Ejuſdem Catalogi Literâ P. hæc leguutur:

Palladij de præcipuis Martyribus narratio. Quæ verba *Poſſevinus* ſuo more deſcripſit ex *Joannis Jacobi Friſij* Bibliothecâ Univerſali, ubi hæc leguntur: *Palladij de præcipuis Martyribus narratio, in 4to MSt. Bibl. Imp. Viennæ.* Sed tàm apud *Friſium*, quàm apud *Poſſevinum* Inſcriptio hæc ita mutanda eſt: *Palladij Epiſcopi ad Præpoſitum Lauſum de diverſis SS. Patribus narratio.* Codex Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ, qui his verbis ſignificatur, membranaceus eſt in 4to, & inter Hiſtoricos Græcos MStos *vigeſimus*, fuitque olim *Ioannis Sambuci*, ut propria ipſius manus in frontiſpicio indicat. *Titulus* hujus Codicis, aureis ſcriptus literis, & *Principium* ita ſe habent: Ἀντιγραφὴ ἐπιστολῆς γραφείσης Λαύσῳ Πραιποσίτῳ παρὰ Παλλαδίου Ἐπισκόπου περὶ βίου διαφόρων ἀσκητῶν καὶ ὁσίων πατέρων. Μακαρίζω σοῦ τὴν προαίρεσιν, ὅτι πάντων εἰς τὰ μάταια κεχηνότων, ἐξ ὧν οὐκ ὠφεληθήσονται, αὐτὸς λόγους οἰκοδομῆς διδάσκεσθαι θέλεις· ἀδίδακτος γὰρ μόνος ἐστὶν ὁ τῶν ὅλων Θεὸς, ἐπειδὴ αὐτοφυὴς, &c. Digniſſimus profectò eſt hic Codex cùm vetuſtatis reſpectu, tùm alijs non paucis nominibus, ut non tantùm, cum *Hiſtoriâ Lauſiacâ*, à *Joanne Meurſio* Lugduni Batavorum typis Ludovici Elzevirij A. 1616 in 4to græcè primùm editâ, verùm etiam cum *Gentiani Herveti* tranſlatione latinâ accuratè conferatur. Quâ de re in *Supplemento Hiſtoriarum de Vitis & Miraculis Sanctorum* pluribus diſſeram, & *variarum lectionum* ex jam memorato Codice Cæſareo depromptarum *Synopſin* quàm fideliſſimè exhibebo. Interim hoc præviè moneo, *epiſtolam*, cujus principium paulo antè adſcripſi, in

Herve-

Herveti quidẽ latinâ editione *Heraclidi Epiſcopo Cappadociæ*, rectiùs autẽ in Codice illo Cæſareo attribui *Palladio Epiſcopo Helenopoleos.*

Ejuſdem Catalogi Literâ S. hæc leguntur: *Sidonius de Spiritu Sancto.* Quæ verba apud eundem *Poſſevinum*, etiam extant in ipſo Apparatu Sacro Literâ S. hoc modo: *Sidonius de Spiritu Sancto: MSt extat in Bibliothecâ Imp. Viennæ.* Deſcripſit autem is more ſuo hæc verba ex *Ioannis Iacobi Friſij* Bibliothecâ Univerſali, ubi hæc leguntur: *Sidonius de Spiritu Sancto, junctis quibuſdam Dionyſij epiſtolis; in 4to MSt. Bibl. Imp. Viennæ.* Sed tàm apud *Friſium*, quàm apud *Poſſevinum* ſine controverſia legendum eſt: *Demetrius Cydonius* ſive *Cydoniates de Proceſſione Spiritûs Sancti.* Codex Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ, qui his verbis ſignificatur, chartaceus eſt in 4to, & inter Theologicos Græcos MStos *ducenteſimus ſexageſimus ſecundus*, fuitq; olim *Ioannis Sambuci.* Inſcriptio autem jam memorati Opuſculi hæc eſt: Σύγγραμμα τοῦ μακαρίτου κυρίου Δημητρίου τοῦ Κυδωνίου περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου πνεύματος πρός τινα τῶν φίλων ἐρρωμένον περὶ τούτου. Προοίμιον. &c. Extat etiam in ejuſdem Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Codice chartaceo in 4to, inter Theologicos Græcos MStos *octogeſimo quinto*, ejuſdem *Demetrij* translatio Græca Refutationis *Alcorani* Muhammetici, à *Richardo* monacho Dominicano latinâ linguâ conſcriptæ. Titulus editionis impreſſæ hic eſt: Ρικάρδου τοῦ τῷ τάγματι τῶν παρὰ Λατίνοις καλουμένων Πρεδικατόρων κατειλεγμένου, ἀνασκευὴ τῆς παρὰ τοῦ καταράτου Μαχουμεθ τοῖς Σαρακηνοῖς τεθείσης νομοθεσίας, μετενεχθεῖσα ἐκ τῆς Ἰταλῆς διαλέκτου εἰς τὴν ἑλλάδα διά τινὸς Δημητρίου. In Codice autem Cæſareo legitur Inſcriptio iſtius libri hoc modo: Ἀνατροπὴ κεφαλαιώδης νόμου Μωαμὲθ, ὑπὸ μὲν Ρικάρδου τινὸς ἐκτεθεῖσα λατινικῶς, ὑπὸ δὲ Δημητρίου τοῦ Κυδωνίου ἑρμηνευθεῖσα ἑλληνικῶς. Hic igitur eſt *Demetrius* ille, à *Cydonia* Inſulæ Cretæ oppido *Cydonius* ſive *Cydoniates* cognominatus, qui perperàm à *Verderio* in Indicibus diverſarum Vrbis Conſtantinopolitanæ Bibliothecarum *Demetrius Sydon*, à *Friſio* autem & *Poſſevino Sidonius* appellatur.

Ejuſdem Catalogi Poſſeviniani Literâ T. hæc leguntur: *Theodoreti Diaconi Canones Synodales.* Quæ verba ſic mutanda ſunt: *Theodori ex Magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diacono Patriarchæ Antiocheni Expoſitio Sacrorum Canonum Synodalium.* Codex Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ, quis his verbis ſignificatur, chartaceus eſt in fol., & inter Theologicos Græcos MStos *ducenteſimus*

octogeſimus octavus, fuitq; olim à *Busbeckio* comparatus *Conſtantinopoli*. Quæcunq; autem præterea de rebus præſtantiſſimo hoc Codice contentis, & de collatione ejuſdem cum impreſſis exemplaribus dicenda reſtant, ea propter argumenti amplitudinem neceſſariò in præſens omittenda, & ſuprà promiſſo *Hiſtoriæ Conciliorum Supplemento* reſervanda ſunt. Redeo itaq; ad Poſſevinianum Catalogum, Cujus literâ T. hæc leguntur:

Thomæ Anort orationes de Incarnatione. Quæ verba ſic mutanda ſunt: *Thomæ Aquinatis Argumentationes de Divinâ Incarnatione*. Codex Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ, qui his verbis ſignificatur, chartaceus eſt in 4to, & inter Theologicos Græcos MStos *ducenteſimus quartus*, fuitq; olim *Ioannis Sambuci*. Inſcriptio jam memorati opuſculi *S. Thomæ Aquinatis* hæc eſt: Θωμᾶ Ἀγχίνȣ λόγοι περὶ τῆς θείας σαρκώσεως. Tractatur autem materia iſta hoc modo, ut primò ponantur ἀντιθέσεις κατὰ τῆς θείας σαρκώσεως, & deinde ſubjungantur λύσεις ſive *ſolutiones Antitheſium*. Minimè porrò dubium eſt, quin Ἀγχίνȣ mendosè ſcriptum ſit pro Ἀκȣίνȣ. Deceptus igitur vitiosâ illâ ſcripturâ *Ioannes Iacobus Friſius*, novum ſibi finxit autorem *Thomam Anchinum*, de quo in Bibliothecâ Univerſali ſic ſcribit: *Thomæ Anchini decem capita de præcipuis religionis articulis contra quendam Pſalten ſive Cantorem Antiochenum, juncta invectivâ adverſus quoſdam hæreticos Chriſti hoſtes, in 4to, MSt. Bibl. Imp. Orationes de Divinâ Incarnatione; in 4to MSt. Bibl. Imp. Viennæ.* Hæc Friſius. Atenimverò, quæcunq; hîc de *Thomâ Anchino* referuntur, ea ſine ullâ controverſiâ de *S. Thomâ Aquinate* intelligenda ſunt. Nam, quod ad *Argumentationes de Divinâ Incarnatione* attinet, jam indicavi, ubi illæ in Bibliothecâ Cæſareâ extent; alterum autem ejuſdem *S. Thomæ Aquinatis*, opuſculum *contra Pſalten* Antiochenum continetur ibidem Codice chartaceo in 4to, inter Hiſtoricos Græcos MStos *decimo quarto*; Inſcriptio ejus hæc eſt: Κεφάλαια συντεθέντα περὶ τῶν λόγων τῆς πίστεως παρὰ τȣ̃ μακαρίȣ Θωμᾶ τοῦ Ἀκίνȣ πρός τινα ψάλτην Ἀντιοχέα. Extat hic Tractatus inter Opera S. Thomæ Aquinatis Tomo XVII editionis Romanæ A. 1570 in folio. Valeat itaq; *Friſius* cum fictio ſuo *Thomâ Anchino*, æquè ac *Poſſevinus* non tantùm cum ſuo *Thoma Anort*, verùm etiam cum *Thoma Theacino*, de quo Apparatus Sacri Tomo III ſic ſcribit: *Thomas Theacinus volumen bipertitum ſat grande ſcripſit adverſus Græcos; manuſcript. Conſtantinopoli extare dicitur in Græcis illis Bibliothecis*. Hæc Poſſevinus. Deſumpſit autem ea, ut ipſe

testa-

teſtatur, ex *Antonij Verderij Bibliothecâ Conſtantinopolitanâ* cum Supplemento Epitomes Bibliothecæ Geſnerianæ Lugduni apud Bartholomæum Honorati A. 1585 in fol. editâ, ubi ſuppoſititij illius *Thomæ Theacini* fit mentio his verbis: *Liber Thomæ Theacini, quem ſcripſit contra Græcos.* Et iterùm aliquanto poſt: *Thomæ Theacini liber magnus, quem ſcripſit contra Græcos, & habet ſectiones duas.* Hæc Verderius. Sed certo certiùs pro *Thomæ Theacini* græcè ſcriptum fuit Θωμᾶ τȣ̃ Ἀκȣΐνȣ, hoc eſt, *Thomæ Aquinatis.* Significatur enim liber ipſius *contra errores Græcorum,* qui Summo Pontifici *Vrbano IV* dicatus, inter Opera ejus extat principio Tomi XVII.

Hactenùs, tanquam ſpeciminis loco, nonnullos indicavi errores, qui in *Catalogo Sacrorum Codicum Græcorum MStorum* Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ, à R. P. *Antonio Poſſevino* edito, & à V. CL. *Gabriele Naudæo* in *Recenſione Illuſtrium Bibliothecarum* memorato, ſatis perſpicuè occurrunt; reſtant autem ibidem alij longè plures, quorum emendatio in aliud tempus differenda eſt. Id tamen, priuſquam *Additamento* huic *tertio* finem imponam, inſuper moneo, *Bibliothecam Conſtantinopolitanam*, ab *Antonio Verderio* editam, cujus paulo antè à me facta eſt mentio, plurimis mendis & erroribus ſcatere, ideóq; ea quoque, quæ R. P. *Antonius Poſſevinus,* ut ad *res Sacras & Eccleſiaſticas* pertinentia, inde excerpſit, cautè legenda eſſe. Quâ de re licet in *Supplemento Corporis Hiſtoriæ Byzantinæ* ex profeſſo acturus ſim, utpote ubi eandem illam *Bibliothecam Conſtantinopolitanam* ex Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ Codice inter Hiſtoricos Græcos MStos *quadrageſimo nono* græcè ſimul & latinè edere conſtitui; ne tamen intereà quis exiſtimet, injuriam me *Verderio* facere, pauca hæc è multis fidei faciendæ causâ jam nunc præmitto.

In Catalogo librorum 174, à *Grammatico* quodam exhibito, legitur:

Procli Patriarchæ Conſtantinopolitani hiſtoria de Græcâ Theologiâ. Sed ſine dubio ſcribendum eſt: Πρόκλȣ Διαδόχȣ βιβλία ἓξ περὶ πλατωνικῆς θεολογίας; hoc eſt: *Procli Diadochi libri ſex de Platonicâ Theologiâ.* In Codice *Verderij* ab inepto librario pro τοῦ Διαδόχȣ perperam ſcriptum fuit Πατριάρχȣ, & ἑλληνικῆς pro Πλατωνικῆς. Prodierunt illi *ſex libri Procli Diadochi* primùm in lucem *Hamburgi* ex *Gottorpiana* Sereniſſimi Ducis Holſatiæ Bibliothecâ cum verſione latinâ *Æmilij Porti* A. 1618 in fol. Extant etiam in Auguſtiſſimâ Bibliothecâ Cæſareâ *duo* ejuſdem Operis *exemplaria Græca MSta* in Codicibus inter Philo-

ſophicos & Philologicos Græcos MStos *trigeſimo tertio & trigeſimo quarto*, in quorum priori Inſcriptio libri primi ita ſe habet: Πρόκλου Διαδόχου πλατωνικοῦ εἰς τὴν Πλάτωνος θεολογίαν βιβλίον α. Extat etiam ibidem in antiquo Codice membranaceo in fol., inter Theologicos Latinos MStos *centeſimo ſexageſimo quarto*, cjuſdem operis vetus tranſlatio latina, cujus principium: *Omnis multitudo participat æqualiter uno. Si enim*, &c. In fine autem æquè antiquo charactere hæc leguntur ſcripta: *Procli Diadochi Lycij Platonici Elementatio Theologica explicit. Completa fuit translatio hujus Operis Viterbij à Fratre G. de Morbecta Ordinis Fratrum Prædicatorum XV Kal. Junij anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo octavo.* Hanc igitur *antiquam verſionem latinam*, unà cum jam memoratorum duorum Codicum Græcorum *variantibus lectionibus*, integram exhibebo in *Supplemento Philoſophiæ Platonicæ*, quod ex Auguſtiſſimâ Bibliothecâ Cæſareâ poſthàc edere conſtitui.

Ibidem: *Hiſtoricon Andriottæ de terrâ ipſorum*; In Codice Cæſareo legitur: Ἱστορικὸν Ἀνδριώτου περὶ τῆς γῆς αὐτῶν ἑταιρείδος. Sed tam in Codice hoc MSto, quàm in Verderij latinâ editione, meâ ſententiâ legendum eſt: Ἱστορικὸν Ἀνδροίτου περὶ τῆς γῆς αὐτοῦ πατρίδος. hoc eſt, *Hiſtoria Androetæ de patriâ ſuâ.* Sic Homerus Iliad. γ. ἐνὶ πατρίδι γαίῃ pro ἐν τῇ πατρικῇ γῇ. Intelligitur autem *Androetas Tenedius*, cujus *Periplus Propontidis* citatur ab antiquo Scholiaſte Græco in *Apollonij Rhodij* Argonauticῶn librum ſecundum.

Ibidem: *Hiſtoria Nicetæ Coniatæ.* Legendū Χωνιάτου, *Choniatæ.* Quod non monuiſſem, niſi hic error ſæpiùs ibi occurreret.

Ibidem: *Theodoreti Epiſcopi Syri*, &c. Sed legendū *Cyri* vel *Cyrenſis.* Fuit enim Theodoretus Epiſcopus *Cyri*, urbis Syriæ, quam vel ipſe *Cyrus* Perſarum Rex extruxit & nomine ſuo inſignivit, uti tradit *Gennadius Maſſilienſis lib. de Scriptoribus Eccleſiaſt. cap. 89*; vel *Judæi* in honorem & memoriam *Cyri*, qui eos ex captivitate dimiſit, condiderunt, uti refert *Procopius* libro ſecundo de Juſtinianeis Ædificijs. Neque verò uno tantùm loco, ſed paſſim aliàs *Syri* pro *Cyri* ibi legitur.

Ibidem: *Galeni Medicinale ad Hippocratem.* In Codice Cæſareo legitur Ἰατροσόφιον Γαληνοῦ καθ' Ἱπποκράτους.

Ibidem: *Hiſtoria Conſtantini Manaſſæ ab orbis initio uſque ad regnum Domini Nicephori Betanatæ.* Sed legendum eſt: *uſque ad Imperium Domini Nicephori* Βοτανειάτου, *Botaniatæ.*

Ibidem:

Ibidem: *Liber Thomæ Theacini, quem ſcripſit contra Græcos*. Sed legendum: Βιβλίον Θωμᾶ τοῦ Ἀκχίνου *Liber Thomæ Aquinatis*, &c.

Ibidem: *Aliud opus de legibus Tadepheia dictum*. Sed legendum ex Codice Cæſareo τὰ τεύχεα.

Ibidem: *Explicatio Ioannis Metropolitæ Euchaitarum Mapropadis*. Sed legendum eſt τοῦ μαβρόποδος, ſive *Mabropodis*, hoc eſt, cognomine *Nigripedis*. Μαβρὸς enim & μαυρὸς Græcis recentioribus idem eſt atque μέλας. Μαβρόπους. igitur vel μαυρόπους idem eſt atque μελανόπους.

Ibidem: *Kiullius Polideukei*: Sed legendum Ἰούλιος Πολυδεύκης, *Julius Pollux*.

Ibidem: *Auguſtini Epiſcopi Hipponis Enchiridion Græcè verſum à Demetrio Sydone*. Sed legendum, *à Demetrio Cydonio* ſive *Cydoniate*.

Ibidem: *Ruffini presbyteri Magnæ Eccleſiæ Hiſtoria Eccleſiaſtica, incipiens ab Imperio Conſtantis Chleri*. Sed legendum, *Conſtantij Chlori*; nempe patris Imp. *Conſtantini Magni*.

Ibidem: *Hiſtoria Ioannis Curopalati Scitizæ*. Eodem modo legitur etiam apud *Poſſevinum*. Sed legendum eſt *Ioannis Curopalatæ*, cognomento *Stylitzæ*.

Ibidem: *Epiſtolæ Iſidori Peluſiotæ numero mille & duo*. In Codice Cæſareo legitur Χιλιάδες δύο, *bis mille* ſive *duo millia*.

Ibidem: *Hippocratis in libros reſolutionis quatuor, quos Galenus explicat*. In Codice Cæſareo legitur: Τοῦ Ἱπποκράτους εἰς τὰ ἀναλυτικὰ βιβλία τέσσαρα. καὶ ἐξηγεῖται αὐτὰ ὁ Γαληνός.

Ibidem: *Euſtachij Metropolitani Theſſalonicenſis in Platonem & Ariſtotelem*. Sed legendum eſt Εὐσταθίου, *Euſtathij*.

Ibidem: *Ioannes Chinax interpretatus*. Sed legendum *Ioannes* cognomento *Climacus*, Abbas montis Sinai, qui ſcripſit κλίμακα ſive *Scalam Paradiſi*.

Ibidem: *Liber Sancti Hieroti*, Sed legendum eſt, *Liber S. Hierothei*.

In Catalogo librorum *Patriarchæ Conſtantinopolitani* legitur: *Lexicon Iuſtiniani Magni*. Sed legendum ex Codice Cæſareo Ἑξηκοντάβιβλος. Ex cujus vocis tribus prioribus ſyllabis ἑξηκον Verderius fecit λέξικον.

In Catalogo librorum *Conſtantini Varini* legitur:

Anaſtaſij Synagitæ liber, qui appellatur ἀγηγὸς. Dux vitæ ſivæ præmonſtra-

monſtrator. Sed legendum eſt *Anaſtaſij Sinaitæ liber, qui appellatur* ὁδηγὸς, *hoc eſt Dux ſive monſtrator viæ.*

Ibidem: *Manuelis Mariottæ & magni Rhetoris Magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ explicatio in oracula Sibyllæ Erythrææ.* Sed legendum eſt Μανουὴλ τοῦ Καμαριώτου, uti in Codice Cæſareo.

Ibidem: *Arſenij Philoſophi, Metropolitæ quondam Empaſiæ in Pelonnenſo explicatio in novē Comœdias Ariſtophanis.* Sed legendū eſt. μητροπολίτου γενομένου Μονεμβασίας τῆς Πελοποννήσου. h. e. *qui Metropolita fuit Monembaſiæ in Peloponneſo. Monembaſia hæc* ſive *Monobaſia*, Peloponneſi Urbs ad ſinum Argolicum, olim vocata Epidaurus, nunc vulgò *Malvaſia* dicitur. Hinc *vinum Monembaſiaticum*, vulgò Malvaſier.

Ibidem: *Lexicon Iuſtiniani Magni ſecundum Alphabetum.* In Codice Cæſareo, ut paulo antè monui, legitur ἐξηκοντάβιβλος.

Ibidem: *Phemarchij Paraphraſis in IV Evangelia.* Sed legendum Βημάρχου, *Bemarchij.*

Ibidem: *Phrynichij Lexicon.* Eodem modo legitur & apud *Poſſevinum*, qui hunc autorem perperam inter *Scriptores Eccleſiaſticos* retulit. Sed legendum eſt Φρυνίχου, *Phrynichi.*

In Catalogo librorum *Antonij Cantacuzeni* legitur:

Aliud in Medicinâ volumen magnum, in quo ſunt Galeni, Xenonis, Meletij Sapientis, & pars Grateiæ Riſotomi in materiam Medicam. Quamvis etiam in Codice Cæſareo Ξενῶνος hic legatur, certiſſimum tamen eſt ſcribendum eſſe Ξενοκράτους. Intelligitur enim *Xenocrates Chalcedonius*, de cujus ſcriptis Medicis in deſcriptione vetuſtiſſimi Codicis *Dioſcoridiani MSti*, qui in Auguſtiſſimâ Bibliothecâ Cæſareâ adſervatur, peculiari deinceps loco diſſeram. Cæterùm minimè dubium eſt, quin ibidem pro *Grateiæ Riſotomi* ſcribendū ſit *Cratevæ Rizotomi*, ut in jam promiſsâ *Codicis Dioſcoridiani* deſcriptione abundè demonſtrabo.

In Catalogo librorum *Michaelis Cantacuzeni* legitur:

Thomæ Theacini liber magnus, quem ſcripſit contra Græcos, & habet ſectiones duas. Sed hîc quoque, ut ſuprà monui, pro *Thomæ Theacini* legendum eſt *Thomæ Aquinatis.*

Ibidem: *Medicinale Cratiæ Riſotomi*, id eſt, *Radicum ſectoris, de medicâ materiâ.* Sed hîc quoque *Cratevæ* pro *Cratiæ*, & *Rizotomi* pro *Riſotomi* legendum eſt. ῥιζοτόμος autem non ſtrictè vertendū eſt *radicum ſector*, ſed generaliter & latiſſimè *Herbarius.*

hoc

hoc eſt, *Medicus herbarum cognitioni & uſui præcipuè deditus.*

Ibidem: *Meletius* pro *Miletius*, & *Emeſenus* vel *Emiſſenus* pro *Eumeſenus* legendum eſt.

Ibidem: *Xenonis de medicina.* Sed, ut paulo antè monui, legendum eſt *Xenocratis.*

Ibidem: *Ioannici ſacri monachi, itemq; Cardani & Protheſyngeli Corcyræ Inſulæ, collecta omnia neceſſaria à tribus Medicis, Hippocrate, Galeno & Melchio.* Quæ verba ſic ſupplenda & mutanda ſunt: Ἰατροσόφιον Ἰωαννικίου ἱερομονάχου, τοῦ καὶ ἐπίκλην Καρτάνου, καὶ Πρωτοσυγκέλλου γενομένου τῶν Κερκυραίων νήσου, συναχθὲν καὶ ἐκλεχθὲν ἀπὸ τῶν τριῶν ἰατρῶν Ἱπποκράτους, Γαληνοῦ καὶ Μελετίου.

Ibidem: *Ioannis Hexaphilim explicatio compendaria in quatuor Evangelia.* Sed legendum, *Ioannis Xiphilini.*

Ibidem: *Ioannis Curopalati ſive Comitis Palatini, & quondam Brungarij Bigles, & Iudicijs primi ſive Præfecti Scylitzi, à regno Nicephori uſq; ad Imperium Iſaaci Comneni.* Quæ verba ex Codice Cæſareo ſic ſupplenda & mutanda ſunt: Ἰωάννου Κουροπαλάτου, καὶ γεγονότος Δρουγγαρίου τῆς Βίγλης, καὶ Πρωτασηκρῆτου, τοῦ Σκυλίτζου χρονικὴ ἱστορία ἀπὸ τῆς βασιλείας Νικηφόρου τοῦ ἀπὸ Γενικῶν ἕως τῆς βασιλείας Ἰσαακίου τοῦ Κομνηνοῦ.

In Catalogo librorum *Iacobi Marmoretæ* legitur:

Ioannis Octarij explicatio in libros Ariſtotelis de naturâ, & de omnibus animalibus terrenis, & marinis, & volatilibus. Sed legendum eſt *Ioannis Actuarij.*

Et hæc quidem, ni fallor, in præſens ſufficiunt, ut in anteceſſum inde appareat, quot quantiſque ſcateat erroribus *Bibliotheca Conſtantinopolitana*, ab *Antonio Verderio* edita, & quàm cautè ea, quæ à R. P. *Poſſevino* & alijs ex eâ nimis bona fide deſcripta ſunt, legenda ſint. Quicquid autem, ad hoc argumentum pertinens, de induſtriâ nunc ſilentio præterij, id, uti ſuprà pollicitus ſum, in *Supplemento Corporis Hiſtoriæ Byzantinæ*, ſi DEO ita placuerit, pertractabitur.

AD-

ADDITAMENTUM IV

De pretioſiſſimo Codice membranaceo MSto Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Nicephori Calliſti, *à V. CL.* Sebaſtiano Tengnagelio *ad V. Illuſtriſſ.* Jacobum Auguſtum Thuanum *impreſſionis causâ miſſo* Lutetiam, *pertinens ad præcedentis*

(1) Vide ſuprà pag. 62 & 63.

Epiſtolæ Segmentum (1) quinquageſimum ſextum *& (2) Additamentum ejuſdem* ſecundum.

(2) Vide ſuprà pag. 108 & 109.

Cum non tantùm ipſius Epiſtolæ meæ præcedentis *Segmento quinquageſimo ſexto,* verùm etiam *Additamento* ejuſdem *ſecundo,* paucis indicaverim, *Galliam,* quicquid gloriæ primâ editione græco-latinâ *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Nicephori Calliſti* ſibi acquiſivit, præcipuè debere V. CL. *Sebaſtiano Tengnagelio,* quippe cujus ſingulari beneficio pretioſiſſimus ille Codex MStus, qui editioni illi ſervijt pro autographo, ex *Auguſtiſſimâ Bibliothecâ Cæſareâ Lutetiam* miſſus ſit; haud ingratum poſteritati futurum arbitror, ſi Principis Hiſtoricorum noſtri ævi, Viri Illuſtriſſimi *Jacobi Auguſti Thuani,* & duorum doctiſſimorum Patrum Societatis JESU *Frontonis Ducæi* & *Jacobi Sirmondi,* nec non Reverendiſſimi eruditiſſimique Viri, Dn. *Roberti Scheilderi,* Canonici Atrebatenſis & Cameracenſis, eâ de causâ ad *Tengnagelium* miſſas literas mantiſſæ loco hîc ſuperaddidero, unà cum ſuccinctâ totius rei geſtæ hiſtoriâ; quæ quidem ita ſe habet. Gratificaturus V. CL. *Sebaſtianus Tengnagelius* Illuſtriſſimo Præſidi *Jacobo Auguſto Thuano* de jam memorato Codice MSto Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ *Nicephori Calliſti* impreſſionis causâ *Lutetiam* mittendo, cùm clementiſſimam ejus rei licentiam à Sacratiſſimo Romanorum Imperatore MATTHIA A. 1614 impetraſſet, operâ potiſſimùm in hoc negotio deinceps uſus eſt *Roberti Scheilderi,* Atrebatenſis primùm, deinde autem Cameracenſis Canonici, Viri, ut ipſe *Tengnagelius* eum appellat, *raræ eruditionis & eximiæ fidei,* qui tunc in *Auſtriâ* degens, apud Excellentiſſimum Potentiſſimi Hiſpaniarum Regis Legatum D. *Balthaſarem de Zurigâ* commoratus eſt. Ad hunc itaque *Scheilderum* miſit *Tengnagelius* jam dicto anno 1614 *Nicephorum* illum *MStum* Vindobonâ *Lentiam,* ſeu, ut vulgò loquuntur, *Linzium,* ut is porrò eum curaret tutò perferri in Galliam. Literæ ipſius *Scheilderi* ad Tengnagelium, d. 6 Septembris A. 1614 datæ, quibus ſe iſtum Codicem accepiſſe nunciat, & peculiarem ipſi hoc nomine mittit *Syngrapham, ſunt hæ.*

Iam

Iampridem reſcivisti nì fallor, Clariſsime & Amiciſsime Domine, ex relatu D. Riqueſenſij, librum illum tutò ad me perlatum. Diſtuli id ſcripto teſtari, donec fierem certior de conſilio & mente Thuani, cujus literæ tandem mihi fuerunt redditæ, quas unà cum ſyngraphâ meâ hîc includendas duxi, ut tibi idoneæ cautionis inſtar ſint. Non tamen acquieſcam, donec & aliam à Typographo, cui Codex concredetur, expreſſero. Indiculum librorum, quos petis ex Hiſpaniâ, ad amicos, qui iſtìc, miſi: adnitar & aliâ viâ deſiderio tuo facere ſatis; quæſivi enim ex familiaribus meis, num ullibi extent in Bibliothecis ſelectis Belgij. Si quid literarum pares ad Ampliſſimum Thuanum & P. Frontonem, utere meâ operâ. Non facilè reperies proxenetam magis idoneum ad utriuſq; amicitiam tibi conciliandam. Erit mihi curæ, ut utriuſq; noſtrûm beneficium in (1) editione Nicephori publicâ ſignetur tabellâ. De morte Freheri aliunde inaudiveram: puto & te ſcire Caſaubonum animam exhalaſſe. Ajunt poſt editas exercitationes gravi dolore confectum, quòd illas minùs probari viderit; alij aſſerunt, ex abſceſu in renibus exorto, contractâ febre continuâ debilitatum, vitam cum morte commutaſſe. Dolebunt multi materiam triumphi ſibi ereptam, qui ſtylum in eum jam ſtrinxerant, Abſq; dubio meliùs famæ ſuæ & literis conſuluiſſet, ſi tempus ſuum impendiſſet illuſtrando Polybio. Non licuit per occupationes deſcribere Frontonis literas. Autographum ſervabo diligenter in congreſſum noſtrum, quem inſtare ſpero & voveo. Vale Vir amiciſſime & me ama. Linzij raptim. VI Septembris CIↃ IↃC XIV.

(1) *Summo quidem Jure, ſed fruſtrà hoc ſperavit* Scheilderus. *Nam nec* ipſius, *nec* Tengnagelij *in iſtâ Nicephori Pariſinâ editione ulla fit mentio.*

Exemplum Syngraphæ.

Fateor accepiſſe me per manus Arnoldi Wilhelmi Codicem Nicephori in Pergameno MStum, quem Lutetiam ſecurè primâ opportunitate tranſmiſſurum me polliceor, atq;, abſolutâ editione, integrè & eodem modo, quo mihi traditus eſt, reſtitui curaturum. In cujus rei teſtimonium hanc ſcedulam ſubſcripſi. Datum Lintzij Auſtriæ VI die Septembris CIↃ IↃC XIV.

Robertus Scheilderus Canonicus Atrebatenſis.

Hucuſque Epiſtola *Scheilderi* cum incluſâ *Syngraphâ*. Literæ autem Illuſtriſſimi Præſidis *Iacobi Auguſti Thuani*, Lutetiæ d. 22 Julij A. 1614 datæ, quarum expectatione *Scheilderus* dilationem reſponſionis ſuæ *Tengnagelio* excuſat, ſunt hæ.

Monſieur.

I' ai receu la voſtre du XXI du paſsè de Lintz, par laquelle i' ai coneù la diligence, dont avèsuzè pour l' exemplaire du Nicephore, aucteur de l' Hiſtoire Eccleſiaſtique, duquel i' ai parlè incontinent

à nos libraires, s'il eſt portè à la foire prochaine de Francfort. Cramoiſi, que je croi que connoiſsès d' aillieurs, aſses conneu pour bon marchand & bon Catholique, le recoiverà, & s' obligerà de le rendre, apres qu' il aura eſtè imprimè, a quoi l' on travaillerà inceſſament, ſi toſt qu' il aura eſtè conſignè, & des la fin de la preſente annee & ſans diſcontinuation juſques à la conſumation de l' oeuure, que l' on eſpere, qui pourra eſtre dans quinze ou ſeize mois apres, dont je vous donne ma parole par la preſente, avec aſſeurence, que dans les temps le livre ſ' imprimera, & apres l' exemplaire ſera rendu ſain & entier, & tel qu' il aura eſtè conſignè es mains du S. Cramoiſi. Cette lettre vous ſervira, ſ' il vous plaiſt, d' obligation & d' aſſeurence, & la garderes, ou celui auquel vous la bailleres a ceſt effect. S' il eſt beſoing de plus grande, me le faizant ſcavoir, i' y ſatisferai, mais ſupplie, que cela ne retarde un ſi bon oeuure. I' ai ja oui parler de l' hiſtoire du Paisbas eſcrite par le Conneſtagio, du quel i' avoi ja veu & eſtimè celle, qu' il a eſcrit de l' Union du Roiaume de Portugal a la couronne de Caſtille. I' en ai veu l' aucteur à Genes. Il a les qualites par vous remarquees, & pour les quelles l' on exagite aujourdhui ceus, qui entreprennent tels oeuures: mais (1) quiconque travaille pour le public, il faut, s' il veut bien s' acquiter de ce qu' il a entrepris, qu' il oublie ſon particulier, & prefere le jugement de la poſterità a la haine & l' envie du preſent. Ie ſcai a quoi m' en tenir: mais Dieu & le temps m' en feront la raiſon. Cependant je ſuis reſolu a la patienze, ſans me beaucoup empeſcher ni ſoucier de tout ce, que l' on dict & eſcrit contre moi; mais recours a Dieu & a ma conſcience. Ie n' ai pus, ni meſmes voulu voir le dernier liure injurieus, qui a eſtè faict contre moi pour ce ſubject, ni voulu ſcauoir ce, qu' il contient, ne l' ajant iugè digne d' eſtre veu ni leu de moi, & n' en deſirant autre vengeance, que le meſpris: auſſi que je n' ai le loiſir de m' occuper en ſi mauvaiſes lectures, & que plus grandes affaires me divertiſſent aſsés, ſans perdre mes meilleures heures en ſi miſerables eſcrits. Ie croi que puiſque le liure du Conneſtagio eſt imprimé, il ſe pourra recouurer pardeca, ſans qu' il ſoit beſoing que je vous incommode du voſtre, ſi ce n' eſt, que ſa liberte lui euſt concitè des ennemis, & euſt empeſchè la publication; au quel cas je ne refuſe voſtre courtoiſie. Aimes moi, & me conſerves

(1) *Locus verè aureus, cujus ſenſus:* Quicũq; utilitati publicæ rectè ſtudet inſervire, cũ oportet oblivíſci privati cõmodi, & præferre incorruptũ poſteritatis judicium odio & invidiæ præſentis ſeculi. *Ad eundem fere modum Seneca Epiſtolâ 79:* Nulla virtus latet; & latuiſſe non ipſius eſt damnum. Veniet, qui conditam & ſeculi ſui malignitate compreſſam dies publicet. Paucis natus eſt, qui populum ætatis ſuæ cogitat. Multa annorum millia, multa populorum ſupervenient; ad illa reſpice. Etſiamſi omnibus tecum viventibus ſilentium livor indixerit, venient, qui ſine offenſâ, ſine gratiâ judicent.

ſerves en vos bonnes graces. En ceſt endroict je ſupplie tres humblement N. S., Monſieur, vous donner en ſantè ſa grace. De Paris ce XXII Iullet, 1614.

Hucuſq; Illuſtriſſimi Præſidis *Jacobi Auguſti Thuani* ad *Robertum Scheilderum* epiſtola. Cæterùm cùm, ut ſuprà memoravi, *Scheilderus* Codicem illum MStum *Nicephori* A. 1614 *Lintzij* accepiſſet, ſummo deinceps ſtudio in eam curam incubuit, ut is in manus Præſidis *Thuani* quàm primùm ſecurè perveniret. Inprimis autem R. P. *Fronto Ducæus* è Soc: JESV, quem ſtudium linguæ Græcæ præ cæteris celebrem tunc in Galliâ reddiderat, cùm à *Scheildero*, tùm ab ipſo *Tengnagelio* eâ de re factus fuit certior, ut ex ſubjunctis ipſius literis, A. 1615 d. 24 Februarij ad *Tengnagelium* datis, videre eſt.

Fronto Ducæus Sebaſtiano Tengnagelio I. V. D. & Cæſareo Bibliothecario V. CL. S. D.

QVod à Poetâ dictum eſt neſcio quo, non defuturos Marones, ſi fuerint Mecœnates, id mihi libet immutatum ad tuam laudem traducere, Clariſſime Tengnageli, ut aſſeram, incaſſum Ptolemæos nobis ſuppetere Philadelphos, niſi Demetrios etiam habeant Phaleræos. Etſi enim pauci ſint Principes, qui locupletiſſimas inſtruant Bibliothecas, & ad extorquendos è barbarorum manibus Codices calamo exaratos pecunias impendant; tamen illi ipſi, niſi liberales & doctos illis cuſtodes apponant, multo magis libris rarioribus carebimus, quos etiam cum dolore, imò luctu, ſervari ſciemus, ſed ab ijs, qui per ſummam invidiam eorum uſum doctis aut ſtudioſis hominibus non permittunt. Quo nos æquius eſt, probitatem atq; humanitatem tuam ſuſpicere ac prædicare, qui, etſi à nobis (1) *non rogatus, benè de nobis mereri ſpontè voluiſti, ſtatimq; atque amicorum operâ tibi innotuit, nos Hiſtoriam Nicephori Græcam avidè expetere, ut, quod unum ſupereſt in Orbe Chriſtiano illius exemplar, formis expreſſum æreis in lucem exeat, perlibenter ad nos mittendum illud tradidiſti. Ac nos quidem non mediocriter anxios ac ſolicitos habuit ejus expectatio, cùm literæ quidem tuæ Septembri menſe datæ jam in itinere eſſe ſignificarent, cui commiſſum erat; ipſæ verò Francofurti ſine libro Pariſienſi Bibliopolæ Morello fuiſſent redditæ. Sed admoniti poſteà ſumus à doctiſſimo noſtriq; amantiſſimo Scheildero, fidem datam fefelliſſe, qui ſe illud laturum receperat, itaq; κατὰ δεύτερον πλοῦν, alterius geruli fidelioris operâ eſſe perferendum. Cùm igitur advenerit, quàm diligentiſſimè curabimus exſcribi, ſtatimq; remittemus, & antequam prælo ſubjiciatur,*

(1) At ab Illuſtriſſimo Præſide Thuano *vehementiſſimè rogatus fuerat, ut ex ejuſdē gratiarum actione paulò pòſt apparebit.*

ciatur, cum Græco textu Langi verſio conferetur, ne qua fortè loca, ut fit, interpres omiſerit, vel ſubleſta fide corruperit: cujus enim fuerit communionis illo ſuo grandi in Juſtinum commentario ſatis indicavit. Baſilium ſe miſſurum Lutetiam, utrâq; linguâ edendum, Anglus quidam promiſerat, ſuamq; interpretationem Pariſienſium cenſuræ Theologorum ſe ſubjecturum profeſſus erat, ſed nondum ſtetit pollicitis. Propterea, abſoluto Gregorio Nyſſeno, Morelli prælum Juſtino Martyri nunc operam navat, quòd editionis Commelinianæ jam ampliùs venalia non proſtent exemplaria. Quod ad Theophilum, Athenagoram & alios minores Patres attinet, ſpem faciunt Bibliopolæ Pariſienſes, ut, poſtquam diſtracta fuerint exemplaria editionis ultimæ latinæ Bibliothecæ Patrum, nova ab illis ſuſcipiatur quæ Græcos Patres utrâq; linguâ repræſentet excuſos, quod illi me hortante ſi præſtiterint, non dubitabimus tuum auxilium implorare, ſi fortè Regijs forulis Imperatorij ditiores fuerint & copioſiores. Concilia Græca priùs, ut ſpero, prælo ſubijcientur, quando illud eis onus impoſitum eſt, qui privilegium à Regio Conſiſtorio non ita pridem ad annos triginta obtinuerunt Breviaria & libros officij Eccleſiaſtici excudendi eâ lege atque omine, ut in poſterum Græcos Patres & ipſa Biblia Plantiniana recudant τετράγλωσσα. Sed deſunt nobis manuſcripti, qui Synodum quintam οἰκουμενικὴν exhibeant, quæ ne in ipsâ quidem Vaticanâ potuit reperiri. Habemus quidē in Regiâ Bibliothecâ Conſtantinopolitanam ſub Mennâ habitam, ſed illa non fuit generalis. Sunt & in hâc urbe duo Maronitæ, quorum operâ ſe uſurum profitetur Dn. Breveſius, Regius ad Pontificem Exlegatus ad Bibliorū Paraphraſin Arabicā & Chaldaicam excudendā Catalogum librorum ſimulq; pretij indicaturam his attexam, quorum nomina miſiſti: ſic autem habeto, nos operam daturos, ut Hieronymi Druardi vel Sebaſtiani Cramoiſij Nivelliani Actores libros illos habeant Francofurti, eoq; pretio tibi addicant, quo Lutetiæ veneunt; tantùm erit portorium addendum ſive pretium vecturæ. Sperare nos porrò jubent amici omnia fauſta de Comitijs Regni, quibus heſterno die finis impoſitus eſt, peroravitq; pro Clero Epiſcopus Lucionenſis, pro Nobilium Ordine Baro Senecotus, qui Cardinalis Rupifucaldij fratris filiam in uxorem duxit, pro Tertio ſive Plebejo Ordine Præſes --, qui & ipſe Præfectus eſt Mercatorum ſive primarius Ædilis. Inter ea capita, quibus poſtulant à Rege, quæ ad conſtituendam ordinandamq; Rempublicam pertinent, unū eſt, quod litem in Senatu pendentem inter Academiam & Collegium noſtrum Pariſienſe ad Regij Conſiſtorij tribunal traduci poſtulat,

ſtulat, & nullâ oppoſitionũ quarumvis aut interceſſionum habita ratione, ſcholas nobis reſtitui, cum honorifico noſtræ Societatis elogio. Obtulerat Rector Academiæ, quoſdam articulos adverſus ordines religioſos nuper exortos & noſtram Societatem, ſed ab omnibus Ordinibus ſunt rejecti. Verùm ex literis ad Dn. Schilderum fuſiùs ejuſmodi res noſtras cognoſces expoſitas, quarum ſi felicem, quem optamus, ſucceſſum obtinuerimus, longè uberior facultas ſuppetet, DEO favente, tuis commodis & obſequijs inſerviendi, aliaq; officia præſtandi, quæ à nobis pro tuo jure potes exigere; tu modò, quam pollicitus es, auxiliandi operam ne deneges, ſimulq; de Eccleſiâ Chriſtianâ benè mereri pergas. Salutant te doctiſſ. Morellus Regius Profeſſor & P. Dionyſius Petavius, qui Fixæ Andegavorum Rhetoricam docet in Regio Henrici Magni Collegio. Salutat te & doctiſſimus Rigaltius, qui in Curâ Bibliothecæ Regiæ Caſaubono ſucceſſit, aucto etiam ſtipendio ad ſexcentos uſq; florenos Brabanticos ſive libras Turonicas totidem; quo etiam genere nummûm paſſim in Galliâ mercatores pretia indicant: & Catalogum etiam ſequentem hoc pacto nos compoſuimus. Vale. Lutetiæ Pariſiorum VI Kal. Martias CIↃ IↃC XV.

Hucuſq; R. P. *Frontonis Ducæi* ad *Tengnagelium* Epiſtola, quâ illi ſignificavit, quanto deſiderio Manuſcriptus *Nicephori* Codex Cæſareus *Lutetiæ* expectaretur. Pervenit is autem eò tandem aliquando die XXIX Aprilis A. CIↃ IↃCXV, ut videre eſt ex jam memorati P. *Frontonis Ducæi* literis ad *Scheiderum*, die XV Maij A. 1615 datis, quarum exemplum hoc eſt.

Monſieur

Le Nicephore eſt arriué à Paris ſain & ſauue, Dieu mercy, le 29 d' Auril auec vne lettre du Pere Gueret, Recteur de noſtre Noviciat de Nancy, qui m' eſcriuoit du 18 d' Auril, qu' un Gentilhomme Eſpagnol nommè Navarra luy avoit deliurè pour me le faire tenir. Le dict Eſpagnol l' auoit receu d' un grand Seigneur Portugais, & l' à faict porter iuſques à Nancy ſortant de Vienne, ou il eſtoit à la ſuite de l' Empereur. Six heures apres que je l' eus receu, ayant payé le port à deux ſols pour livre, en peſoit 20, je l' ay portè à Monſ. le Preſident de Thou, qui à eſtè fort aiſe de le receuoir, & en a faict ſi grand eſtime, qu' il penſe, qu' il pourroit eſtre l' autographe, ou la copie preſentee par l' auteur, l' Empereur luy en ayant laiſsè l' entiere diſpoſition comme par courtoiſie. Il diſoit s' remettre a moy. Il m' a faict dire depuis par Mons. Rigault, que pour ſon contentement il ſeroit bon, qu' on le fiſt tran-

ſcrire par Maiſtre Henry Eſtienne, fils de Charles Eſtienne, frere de Robert, qui eſt Catholique, & a ſon imprimerie en l' ancienne maiſon des Eſtiennes pres les eſcholes du Decret: mais a cauſe, qu' eſtant Threſorier des baſtiments du Roy, il a eſtè incommodè en ſes affaires, redijt ad majorum artificium. C' eſt celuy, a qui Monſ. Caſaubon a dedie ſes Notes ſur Dion Chryſoſtome. Les frais de l' Impreſſion ſeront faicts par Drouart le Libraire, qui debite & a faict imprimer l' Hiſtoire du dict Sr. Preſident, & hoc inconſultis nobis; de quoy Claude Morel faiſant ſes plaintes, comme ayant eu eſperance de l' auoir pour ſoy, il adjouſta, que le dict Sr. ne vouloit point, qu' on recuiſt la traduction latine, & qu' il ny avoit rien a corriger. Ie ne ſcay ce qu' en ſera; mais je crains, que ce ſera choſe difficile de contenter le dict Sr. Preſident & le Sr. Bibliothecaire del Empereur, qui veut, qu' on renvoye la traduction. I' ay beſoing de m' entretenir en paix auec le Bibliothecaire du Roy, & meſme leur authoritè, m' eſt neceſſe, eſtant a Paris. Ie ne luy ay point deliurè voſtre lettre a cauſe qu' elle fait mention de la dedicace. Ie prie de m' en envoyer d' avis de peur d' eſtre engagè & de deplaire, ſi on ſe monſtre moins enclin a leur honneur. (1) A la veritè puiſq; la traduction eſt dediée a un Empereur, il ne ſemble pas ſeant, que l' edition dont ſoit donnè a un moins Grand Seigneur, que celuy a qui eſt la ſimple. Ie ſeroy bien aiſe d' en eſtre entierement deliurè. On n' a encores vuide le different des libraires a raiſon du previlege des Breviaires, pour le quel on les veut charger d' imprimer les auteurs & Peres Grecs, & le Preſident de Thou eſt un de deputès pour la Surintendance de ces labeurs Royaux avec le Sr. Cardinal du Perron, Mr. de Marillac & Sr. le Lieutenant Civil Henry de Meſmes: On croit, que dimanche prochain cela ſe terminera. On n' a encores reſpondu aux Cayers de trois eſtats. L' Aſſemblee generale des Hugenots ſe doibt faire a Jargeau, tient bout en ſuſplus. Noſtre College eſt entre autres points mis en ſusſeance. Vn de nos Peres du Paysbas nommè Petrus Lanſtelius eſt en cette ville, & fait imprimer Dionyſij Areopagitæ Opera græcè & latinè, ayant reveu la traduction de Penin, en laquelle il trouue autant a dire, que Grucius en celle d' Ariſtote, & continue l' edition de S. Thome, de S. Jean Chryſoſtome, apres que les oeuvres de Lucian ont eſtes imprimes en meſme forme. C' eſt tout ce, que pour le preſent je vous puis eſcrire, me recommendant a vos bonnes graces, &c. De Paris ce 15 de Maij 1615.

(1) *Locus notabilis de dedicandâ Imperatori editione Græco-latinâ Nicephori. Illuſtriſſimum enim profectò hoc fuiſſet, ſed, cujus neſcio culpâ, prælatus fuit S. Cæſareæ Majeſtati* Cardinalis Richelius.

Hucuſ-

Hucuſque R.P. *Frontonis Ducæi* de Codicis MSti Cæſarei Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ *Nicephori Calliſti* incolumi *Lutetiam* adventu Epiſtola ad *Scheilderum*. Ad *Tengnagelium* autem integris antè decem diebus, nempe die IV Maij ejuſdem A. CIϽ IϽCXV, ipſe Illuſtriſſimus Præſes *Thuanus*, non tantùm *gratiarum actionis*, ſed & *Syngraphæ* loco has miſit literas.

Jacobus Auguſtus Thuanus V. CL. Sebaſtiano Tengnagelio S. D.

AD tuas Viennæ Pannonicæ ante octo menſes datas, V. C. reſpondeo. Expectatione Nicephori tui, quem diu in Italiâ & Lotharingiâ priùs jactatum, tandem recepi, reſponſionem diſtuli. Sciebam totâ Europâ hoc unicum exemplar extare; quippe qui per Oratores noſtros Conſtantinopoli jā à multo tempore ſedulo egiſſem, ut ſi ejuſdem aliud nanciſci poſſent, illud quovis pretio redemptum ad nos mitterent: quod illi, veſtigatione diligenti factâ, cùm fruſtrà fuiſſent, nimis verum eſſe confirmarunt. Quo mihi diligentiùs enitendum putavi, ut habendi veſtri & edendi occaſionem quærerem, ne, ſi caſu illud amitteretur, cum eo nunquam ſarciendæ jacturæ amiſſio fieret. Nunc cùm tuâ benignitate, & commendatione Dn. Schilderi, id meæ fidei commiſſum ſit; ut tantæ expectationis liber publicetur, dabo operam, ne te benignitatis tuæ aut Schilderum officij pœniteat. Habebis interim & ſervabis has à me literas, fidei jam datæ teſtes alteras; ac ſpero, ut intra annum majore ex parte perfecto opere, eam ſi non omninò liberare, diligentiam ſaltem in eo edendo adhibitā miſſis folijs jam cuſis tibi approbare poſſim. R.P. Fronto Ducæus erit operis inſpector & curator, &, ſi me audiet, (1) *Sereniſſimo Matthiæ Cæſari, ex cujus inſtructiſſimâ Bibliothecâ illud ad publicam utilitatem nunc ſuâ linguâ, ut olim Ferdinandi avi auſpicijs latinâ, prodit, denuo inſcribet, & beneficij auctorem laudabit. Inter occupationes aulicas hoc etiam curæ mihi erit. Mora illa octimeſtris, quæ à datis tuis literis ad exemplar receptum effluxit, in cauſa fuit, quo minùs deſiderijs tuis in reliquis pro tempore ſatis factum fuerit. Paratam habebam noſtrarum Hiſtoriarum editionem, multis partibus & rebus præcipuè Britannicis & Hibernicis auctiorem, & ſpem fecerant librarij, ut ad eam ſe ſeriò accingerent. Quod cùm non fecerint, dabo operam, ut exemplar forma 12mâ, quæ alijs, ut noviſſima, melior eſt & locupletior, ad te mittatur. Nam marginalibus illis Notis, quæ minùs tibi gratæ, ego pariter offendor non mediocriter, & graviſſimè tuli, me ſuperſtite, qui multa adde-*

(1) *Juſtiſſimum hoc fuiſſet, ſed, cujus neſcio culpâ, Cæſari prælatus fuit* Cardinalis Richelius.

addere, detrahere, etiam quædam emendare & meliora facere in ijs ſperem, & jure meo poſſum, præpoſterâ nundinaliũ librariorum ſedulitate, ſeu potiùs attentiore ad quæſtum diligentiâ, mihi plenam de re meâ ſtatuendi libertatem & arbitrium ademptum eſſe. De Marmolia in Hiſpaniam ad Oratorem Regium, proximâ mecum cognatione conjunctum, jampridem ſcripſi, necdum tamen commodum ab eo reſponſum tuli, raritatem libri cauſante, utpote diſtractis, quæ apud Typographos proſtabant, cunctis exemplaribus. Nam quod habebam, & quo uſus ſum, cùm viro mihi amiciſſimo commodaſſem, mortuo eo hæredes reſtitutionem procraſtinantes, hactenùs eluſerunt. D. Schilderus habet amicos in Hiſpaniâ, quorum ope non dubito, quin jam nunc tibi rem confectam dederit. Si interim ex Hiſpaniâ aliud nanciſci, aut meum recuperare potero; illud quàm primùm ad te curabo. Saracenicâ ſeu Muhamedicâ, quam moliris, Hiſtoriâ fac per tuam diligentiam, ut, quàm cito fieri poterit, fruamur. Juvabit tàm potentis Imperij prima incunabula vix ſatis Chriſtiano Orbi huc uſq; perſpecta pleniùs cognoſcere, & imperſcrutabilia Dei judicia, qui Imperiorum auctor eſt, in eo admirari. Librarij noſtri novam Bibliorum editionem parant, cui poſt Hiſpanam & ultimam Antverpianam, meliorem paraphraſin Chaldaicam ſive Syriacam & Arabicam verſionem in Vetus & Novum Teſtamentum addent cum interpretatione Latinâ peculiari. Illuſtriſſimus Cardinalis Perronus opus urget, & vicariâ operâ noſtrâ ad eam rem utitur. In præſentiarum nihil aliud habeo, quod ad te ſuper tuis & de rebus noſtris ſcribam. Reliquum eſt, ut tibi pro declaratâ tàm inſigni beneficio amicitiâ gratias quâ poſſum mutui animi propenſione agam, & te precibus enixè obſecrem, ut me porrò amare pergas. Vale & me ama. Ex Villabonio noſtro, IV Nonas Majas CIↃ IↃC XV.

Hucuſque Illuſtriſſimi Præſidis *Jacobi Auguſti Thuani* ad *Tengnagelium* epiſtola, quâ ob acceptum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ *Nicephori Calliſti* Codicem MStum Græcum fidem ſuam obligavit loco *Syngraphæ*; Cæterùm quantæ molis fuerit, *Nicephorum* illum peregrinantem ex *Galliâ* revocare domum, ſatis patet ex ſubjunctâ Epiſtolâ R. P. *Frontonis Ducæi*, quam poſt mortem *Thuani* d. 13 Januarij A. 1621 miſit ad *Tengnagelium*.

Clariſſimo Viro Dn. Sebaſtiano Tengnagelio J. V. D. & Cæſareo Bibliothecario Fronto Ducæus S. P. D.

EX literis communis amici noſtri D. Schilderi, Canonici Atrebatenſis, jam diu tibi, opinor, innotuit, per me non ſtetiſſe, quo

minùs

minùs citiùs Nicephorus tuus & Cæſareæ Bibliothecæ reſtitueretur, & in lucem utrâq́; linguâ editus prodiret, præſertim cùm non ita pridem ipſe præſens Lutetiæ ſuis oculis & auribus, quò in loco negotium iſtud verſaretur, & quo in ſtatu eſſet, percipere potuiſſet. Quod ſi mihi ſcirem agendum cum homine, qui ignoraret, quàm difficile fuerit hactenùs ordini noſtro, jus ſuum apud Judices Pariſienſis iſtius Senatus obtinere, exponerem pluribus, & per longas ſermonum ambages totam hiſtoriam deducerem; ſed quoniam Societatis noſtræ veteri amico rem narro, non pudebit me viciſſim tecum expoſtulare, quòd nunquam ad Præſidis Thuani filiorum tutores curatoreſve ſcribere dignatus ſis, neq́; per Legatos ordinarios vel extraordinarios Imperatoris egeris, ut tàm rarus tantiq́; pretij liber repoſceretur. Cùm enim ad me ſolum eum non miſeris, ſed Regij Bibliothecarij committendum fidei volueris, eiq́; per me traditus fuerit, qui potui ego privatus & religioſus profeſſus ei litem intendere, qui eum tot annos detinuit? urgere tantùm, & precibus querelisq́; ſollicitare tutores illos potui, quod & præſtiti, nec ipſi recuſarunt apud Prætorem Pariſienſem illum in jus vocatum perſequi, donec ad Supremam Curiam provocavit. Henricus Stephanus is erat, cui affinis ejus Iſaacus Caſaubonus ſuas in Dionem Chryſoſtomum Notas προσεφώνησε, *qui cùm amicorum potiùs vitio, quàm ſuo pœnè decoxiſſet, & quæſturâ ſua ſe abdicare, atq́; ad priſtinam paternamq́; Typographi artem redire coactus eſſet, gratificari voluit ei Præſes, atq́; ejus fidei Nicephorum exſcribendum & imprimendum commiſit. Cùm igitur diutiùs editionem illam differret, quouſq́; ſuis creditoribus ſatisfacere potuiſſet, librum à ſe repoſcentibus reſpondebat, æquum non eſſe, ut ſui laboris fructu privaretur, cùm tot menſium vigilijs apographum illud exaraſſet fideliter ex autographo expreſſum. Objiciebatur illi, præſtò eſſe Bibliopolas, quorum ſumptibus liber edendus eſſet, qui non ſolùm manupretium illi numerarent, ſed & auctario inſigni mercedem illam cumularent. Tandem tamen cùm ad editionem ſe accingeret Regio inſtructus Privilegio, quod à Senatu confirmari cupiebat, ad Regium Procuratorem venit. Ille verò à me rogatus, aſſenſum ſe præbiturum negavit, niſi priùs Codicem Cæſareum reſtitueret, quem etiam in ſuum Muſæum mihi tradendum perferri curavit: poſteà tamen ſenis afflicti lachrymis victus, illum ei reſtituit, & paciſci cum Bibliopolâ permiſit, à quo & pro manupretio apographi & pro ipſius privilegij communicatione ſponſionem quingentorum aureorum extorſit, poſt ſex menſes numerandorum. Itaq́; niſi velit grandi fœnore gravari Sebaſtianus Cra-*

moiſius, Sebaſtiani Nivellij ex filiâ nepos, neceſſe eſt, ut primo quoq; tempore Nicephorum prælo ſubijciat, jamq; duodecim aureorum ſummam Viennam miſit ad Secretarium Domini Bethunij, ut ejus operâ Privilegium Cæſareum poſſit obtinere. Cœpimus interim Joannis Langi Latinam interpretationẽ cum textu Græco diligentiùs cõferre, comperiq; hominem alioqui doctum nõ paucis in locis errâſſe, neq; dignatum cum Euſebio, Socrate & Sozomeno ſuam verſionem conferre, aut eos auctores adire, quorum ex libris Nicephorus ſuas hiſtorias excerpſiſſet. Exempli causâ lib. 2 cap. 13, angelum ſcribit conſpectum ab Herode funiculo cuidam inſidentem, ſtatimq; cognoviſſe ex malis illis eſſe, qui aliquando boni fuiſſent. At hoc non dicit Nicephorus, vel certè Joſephus, ex quo illud eſt, ſed bubonem, ab Herode viſum, qui, ut olim, Romæ cum eſſet, nuncius boni fuit, ſic nunc propinquæ mortis nuncius futurus advenerat. Id enim prædictum Herodi fuerat à Germano vate; ut ſcribit Joſephus lib. 18 Antiquit. cap. 8. Sunt etiam loca nonnulla apud Euſebium ex conjecturâ correcta ab interprete Chriſtophorſono, quorum lectio reſtitui Nicephori auxilio poteſt, & mutuam operam ipſe ex aliorum collatione ſibi utilem experiri. Non nunquam enim in compendium redegit, quæ alij pluribus expoſuère, nonnunquam etiam fuſiùs narrat, & lucem alijs affundit. Hanc verò collationem non poteſt quis ſtans pede in uno & raptim præſtare; itaq; temporis aliquid concedi neceſſe eſt, ut ad hiſtoriarum capita fonteſq; perveniamus. Atqui multo erit illud honorificentius Imperatoriæ Bibliothecæ, ſi accuratè recognitus cum interpretatione prodeat ex illâ Nicephorus, quàm ſi acceleratâ diligentiâ cum tot nævis & maculis ſuſpecta Catholicis cieatur editio ab homine Lutherano elaborata; licet Catholicum eum fuiſſe Philippus Mornæus aliquando contenderit, eo nomine ab Illuſtriſſimo Cardinale Perronio caſtigatus. Neq; metuere debes, quin elogium dedicationis ei liceat inſcribere, cui debetur; quod ita poteris, DEO *favente pertexere, ut ſimul.* Νικηφόρον (1) τῷ νικηφόρῳ *& Triumphatori ſemper Auguſto te dicas offerre. Ita nunc omnia proſperè cedunt magnanimo Principi & de religione Catholicâ optimè merito. Scito interim à nobis prælo adornari Theodoreti opera, quæ accitis Italorum auxilijs exſcribi cuncta curavimus, ut ſimul uſui nobis eſſent ad eruendas varias lectiones Græcorum Bibliorum, quorum editionem Communem, quam vocat Hieronymus* κοινὴν, *& nobis ſuſcipiendam duximus, additis obelis & aſteriſcis in ijs locis, in quibus à textu LXX diſſentit. Cyrilli etiam Alexandrini lucubrationes, cujus fragmenta non pauca ex libris quatuor in Joannem, qui perierunt,*

(1) Nempe Glorioſiſſimo Romanorum Imperatori Ferdinãdo II, *qui hâc periphraſi ſignificatur.*

runt, ope Catenarum Nicetæ Heracleenſis recuperare conati ſumus. Regia verò præla editione Græco-Latinâ occupantur Epiphanij, cujus textum jam excuſum Notis uberioribus illuſtrat R. P. Dionyſius Petavius. Alteri prælo inſidet Plutarchus, ei ſimilis, quem Wecheliani vulgarunt, cui ſuum etiam addet auctarium idem Petavius. Maronitæ verò duo linguam Arabicam profitentur, & illis tanquam Regijs Profeſſoribus quadringentorum aureorum ſtipendium aſſignatum eſt. Nuper etiam ab univerſo Franciæ Clero munere non exiguo ſunt adjuti, ut inchoatam Veteris Teſtamenti Paraphraſin Arabicam in lucem edere poſſint, unà cum ſuâ interpretatione Latinâ, quam ſuis ſumptibus ijdem Epiſcopi in lucem exire curabunt. Thomas Erpenius Lutetiæ fuit, ſed ex eâ jam diu diſceſſit in Belgium, ubi editionem illam Arabicam dicitur prælo adornare, Catholicis ſuſpectam futuram. Scripſerat adverſus Jacobum Gotofredum conjectorem Suburbicarium R. P. Jacobus Sirmondus; quem Gotofredum Claudius Salmaſius Divionenſis Cauſidicus auſus eſt adverſus ipſum defendere libello edito hoc titulo: Amici ad Amicum Epiſtola. Adverſus utrumq; calamum ſtrinxit iterùm, & librum edidit, quem unà cum his ltteris libenter miſiſſem, ſi vel à fronte, vel à tergo Ciconiam illum vidiſſem, cui literas tuas dederas perferendas. At ille cùm Lutetiam veniſſet, quòd Aula eſſet in Picardiâ cum Rege, illuc fortaſſe confeſtim perrexit; literas tuas tabellario tradidit, qui vecturæ pretium pro arbitrio exegit. Itaq; in poſterum tutiùs eas dabis Domini Bethunij Secretario, qui eas faſciculo ſuarum includet atque ad Præceptorem domeſticum filij ipſius Domini ſui mittet. Vive & Vale Clariſſime Domine, & iſto per literas commercio ſtudiorum nos ſæpiùs beare ne graveris. Lutetiæ Pariſiorum Idibus Ianuarijs CIↃ IↃC XXI.

Hucuſq; R P. *Frontonis Ducæi* ad *Tengnagelium* epiſtola de difficultate remiſſionis *Nicephori* MSti in Auguſtiſſimam Bibliothecam Cæſaream. Poſt mortem autem jam memorati P. *Ducæi* devenit Codex ille MStus *Nicephori Calliſti* in manus R. P. *Jacobi Sirmondi*, è Societate JESV, Viri ſanctiſſimæ vitæ, ſummæ eruditionis & accuratiſſimi judicij, quem ego cùm *octodecim annorum* adoleſcens A. 1646 & 1647 primâ vice *Lutetiæ* degerem, præ cæteris omnibus Viris doctis, quibuſcum ibi amicitia mihi interceſſit & familiaritas, tàm vehementer adamavi & tàm avidè colui, ut, quantùm per ipſius licuit occupationes, vix ullus præterierit dies, quin venerabilem illum Senem in Illuſtri *Claromontano* Collegio inviſerim, & pio ſimul ac docto ipſius colloquio erudiri ſtuduerim.

Literæ ipſius jam memorati R. P. *Sirmondi* ad *Tengnagelium*, quibus eum de Codice MSto *Nicephori Calliſti*, poſt mortẽ R. P. *Frontonis Ducæi* in manus ſuas devoluto, certiorem facit, ſunt hæ.

Clariſſime & Doctiſſime Domine, mihi plurimùm obſervande.

NIcephori vetus exemplar Cæſareum, quod ego poſt P. Frontonis Ducæi obitum in fidem meam receperam, ſalvum ad te D. Werdemanni Reſidentis operâ perveniſſe ſpero. Quid verò ejus editionem tamdiu antehac retardârit, non facilè dixerim; ſed video nunc tandem à Cramoiſio noſtro typos Græcos comparari, ut eam proximo, ut ait, Decembri menſe aggrediatur. Quod ſi fiet, multorum expectationi ſatisfaciet; tibi autem in primis gratiam habebunt, qui tuo id ſe potiſſimùm beneficio conſecutos intelligent. P. Petavius abſoluto ante biennium Epiphanio, alterum ingens Opus ſuum de Doctrinâ Temporum adverſus Joſephum Scaligerum prælo ſubjecit, eoq́ jam perduxit, ut poſterioris Tomi pauca ſuperſint paucis menſibus abſolvenda. Poſthæc ad Juliani Παραβάτου *reliqua ſe accinget. De Theophanis enim hiſtoriâ conſilium, opinor, abjecit, quod & ab alijs tùm in Germaniâ, tùm in Gallia, pariter objectum videtur. Bibliothecam Patrum Græco-Latinam duobus item Voluminibus comprehenſam, Pariſijs editam vidimus, paulò ante quàm P. Frontone careremus. In hoc enim Opere deſijt* ὁ μακαρίτης. *Qui, ut alia, ut noſti, meditabatur, Nicephorum ſcilicet, Theodoretum, Cyrillum Alexandrinum, & Biblia Græco-Latina. Ex quibus Nicephorum planè abſolverat; itaq́ eum Græco textu latina verſio, ut ab eo recognita fuerat, conjungetur. Theodoretum enim magnâ ex parte confectum habebat. Quod deerat, ſupplere ipſe, licet impar, inſtitui, ſi* DEUS *mihi, poſt Concilia Gallicana, quibus adhuc diſtineor, vitam vireſq́ conceſſerit. Ad Cyrillum pauciora collegerat, quæ uſui tamen eſſe poſſint, ſi quis hîc aliquando ad eam curam animum adijciet. In Biblijs Sacris multùm ac diligenter laborarat, unumq́ hoc Opus præ cæteris urgebat: ſed vereor, ut in poſterum ſperare liceat, propter novam editionem Græco-Latinam, quæ hîc jam inchoata eſt, curante, ut audio, Joanne Morino, è Congregatione Oratorij Viro docto, cujus nuper in lucem prodierunt Exercitationum Eccleſiaſticarum libri duo. Quod ad Biblia Syriaca & Arabica ſpectat, quæ Maronitæ pollicebantur, nihil hactenùs apparuit. Geographiam tuam anonymi Nubienſis jampridem dederant. Cujus exemplar, ſi, quod futurum putat, in Germaniâ reperietur,*

Cra-

Cramoiſium rogavi, ut Viennam Francofurto perferendum curet unà cum Petavij Epiphanio. De Bibliothecâ enim Græco-Latinâ præſtare non poterit, quia nondum ad nundinas miſſam credit. Monui etiam, ut cum Adventoriâ, quam deſideras, Propempticum ſimul noſtrum, quod Adventoriam ſecutum eſt, tibi meo nomine offerat; non, quod illa tanti æſtimem, ut à te legi debeant, ſed ne defuiſſe videar voluntati tuæ, cui & in alijs omnibus, quæ poſſim, obſequor libenter. DEUM, *quod reſtat, oro, ut Te rei literariæ nobiſq; meliori utentem valetudine diutiſſimè conſervet. Pariſijs* III *Nonas Septembres* CIↃ IↃC XXVI.

Clariſſimæ D. T. *addictiſſimus*

Jacobus Sirmondus.

Hucuſque R. P. *Sirmondi* de *Nicephori Calliſti* Codice MSto Cæſareo *Vindobonam* remittendo epiſtola ad *Tengnagelium*. Verumenimverò ne tunc quidem, ut *Sirmondus* ſperarat, *Nicephori* illud exemplar MStum *Tengnagelio* fuit redditum, ſed anni demum ſequentis CIↃ IↃC XXVII^mi^ Kalendis Februarij; ubi Illuſtriſſimus atq; Excellentiſſimus *Comes de Fürſtenberg*, qui ex Legatione Gallicâ in Aulam Imperialem redierat, eximium iſtud antiquitatis Eccleſiaſticæ monumentum, quod *integros* ferè *duodecim annos*, nempe inde *à menſe Aprili anni 1615*, in Galliâ hæſerat, Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ felicitet reſtituit. Hoc enim ipſe *Tengnagelius* ſuprà inſertæ Illuſtriſſ Præſidis *Thuani* ad *Scheilderum* Epiſtolæ Gallicæ externâ paginâ teſtatur his verbis: *Nicephori Hiſtoria mihi ab Excellentiſſimo Dn. Comite de Fürſtenberg eſt reddita 1^a^ Februarij 1627.* Hæc de reſtituto ſibi *Nicephoro* ipſe *Tengnagelius*.

ADDITAMENTUM V

De Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ rarioribus nonnullis linguarum Orientalium *Codicibus MStis, quorum V. CL.* Wilhelmus Schikardus *in Prooemio* Tarich *ſive* Seriei Regum Perſiæ *meminit, pertinens ad præcedentis Epiſtolæ Segmentum* (1) *LIV, LV & LVIII.*

(1) *Vide ſuprà pag.* 58, 59 *& 65.*

CUm præcedentis Epiſtolæ meæ Segmento *quinquageſimo quarto*, & alijs nonnullis ejuſdem locis, quantum obiter & aliud agendo fieri potuit, indicaverim, V. CL. *Sebaſtianum Tengnagelium* linguarum Orientalium ſtudio præcipuè fuiſſe deditum, & beneficio *Bibliothecæ ipſius privatæ* Auguſtiſſimam Bibliothecam

Cæſaream multis præſtantiſſimis *linguarum Orientalium* Codicibus MStis fuiſſe locupletatam, haud ab re fuerit, auctarij loco inſignem hîc adijcere locum ex V. CL. *Wilhelmi Schikardi* Procemio *Tarich* ſive *Seriei Regum Perſiæ* ab *Ardſchir-Babekano* conſcriptæ & Tubingæ typis Theodorici Werlini A. 1628 in 4to latinæ editæ, ubi duorum rariſſimorum MStorum Codicum *Perſicorum*, qui beneficio ejuſdem *Tengnagelij* in jam memoratâ Auguſtiſſimâ Bibliothecâ etiamnunc adſervantur, ſpeciatim (1) meminit his verbis: *Hæc paucula nunc ſufficiant de Regibus Perſicis, & quomodo ſcripta veterum, quæ ad nos ferè tantùm per Græcos devenerunt, cum relationibus indigenarum hodiernis concilianda exiſtimem. Quamvis verò ne ſic quidem (ut quod res eſt fatear) intricatiſſimo negotio plenè ſatisfactum eſſe ſciam, ſpes tamen ſupereſt, olim hæc mea ulteriùs emendatum iri, cùm Deus aliquem Perſicæ linguæ gnarum ſuſcitaverit, qui ejus populi Annales, nativâ linguâ ſcriptos, nobis exponat latinè. Id quod omnium, quos hodiè novi, præſtare poſſet optimè, (ſi præ curis Reipublicæ vacaret) Vir Nobiliſſimus & Ampliſſimus Dn. Sebaſtianus Tengnagel I C., Invictiſſimi Imperatoris noſtri Conſiliarius, Præfectus Senatus Viennenſis, & Auguſtalis Bibliothecæ Curator, quo digniorem & Aſiaticis in literis peritiorem Sacratiſſima Cæſarea Majeſtas librario theſauro ſuo præficere potuiſſet neminem. Is enim, ut eſt, præter Hebræas, Chaldæas & Syras, etiam Arabicæ, Perſicæ, Turcicæq; linguarum, inuſitato exemplo & ſine compari hodiè callentiſſimus, ita pro ſe quoque inſtructiſſimus libris horum idiomatum rarioribus, publicè nondum extantibus, pleriſq; manu in Aſiâ exaratis, & ſuo privatim ſumptu ſanè magno, ſibi paſſim coemptis, ubi copia cum peregrinitate certat: quod ex illorum catalogo, ab hoc Fautore mihi benevolentiſſimè pridem communicato, clarè deprehendi. Habet verò inter cæteros præſenti negotio profuturos* EMIR-CHOWAND, *Hiſtoricum Perſidis facundiſſimum, duobus Tomis in folio, eleganti manu exaratum, qui velut alter Plutarchus, omnium Orientis Heroum, & Philoſophorum quoq; vitas, maximè geſta Regum indigenarum linguâ Perſicâ deſcripſit luculenter: item ſuccenturiatum ei filium* THEMVR-CHAN, *qui patris modò nominati libros haud in eleganti ori ſtylo in compendium redegit. Inde lux nova melioribus olim ſtudijs orietur, & his quoq; tenuibus rudimentis meis perfectio accedet, ſi quando talia doctis innoteſcent publicè; quod non voveo tantùm, ſed omninò etiam de laudatiſſimi Dn. Poſſeſſoris ingenuâ liberalitate nobis polliceor.* Hucuſq; Schikardus. Superſunt autem

(1) Pag. 50 & 51.

etiam

etiam nunc in Auguſtiſſimâ Bibliothecâ Cæſareâ *duo* illi præſtantiſſimi MSti Codices *Perſici* in fol., quorum prior more Perſico elegantiſſimè compactus, hanc *Tengnagelianâ* manu exaratam Inſcriptionem in principio continet. *Emir Choandi Hiſtoria rara, cara & eximia, linguâ Perſicâ elegantiſſimè conſcripta, & difficillima inventu; empta Conſtantinopoli A. 1624. Continet ea Tomos duos, quorum Primus complectitur hiſtoriam à condito Mundo & vitas omnium Prophetarum & Virorum Illuſtrium: item vitas antiquorum Regum Perſarum uſq; ad Muhammedum: Secundus autem complectitur vitas Muhammedis, Ebu Becheri, Omeri, Otmani & Aly diffusè & copiosè.* Hæc ipſe Tengnagelius de *primo* Codice Perſico à Schikardo citato. In *Secundi* autẽ Codicis Perſici, ab eodẽ Schikardo laudati principio manu ejuſdem *Tengnagelij* hæc ſcripta leguntur: *Compendiũ Hiſtoriæ Univerſalis Muhammedanæ, à Gajetteddino Perſâ cognomine Emir-Choand Perſicâ linguâ duob' Tomis elegantiſſimè conſcriptæ, quod confecit Perſicè Temur Chan, filius Emir-Choand, & emptum fuit Conſtantinopoli anno Chriſtianæ Salutis 1624.* Hæc Tengnagelius. Meminit præterea *Schikardus* in ſuprà citato *Tarichi* Proœmio (1) rariſſimæ cujuſdam *Coſmographiæ Arabicæ*, quam in privatâ Tengnagelij Bibliothecâ olim extitiſſe refert his verbis: *Hodie Luſitani huic inſulæ aliud nomen indiderunt, appellantes Borneum, ab ejus urbe primariâ, quæ inſtar Venetiarum in palude ſalsâ jacens, lateritijs mœnibus cingitur & XXV millia civium claudit; cujus Rex, profeſſione Muhammedanus, neminem audit niſi per Interpretem. Inſula eſt perampla, 250 leucas in ambitu tenens, ut P. Maffejus Hiſt. Ind. lib. 10 teſtatur. Cardanus autem libro 5 d. miſt. vocat Butei, & dubitativè Zebut, quod utrumq; corruptum eſt. Ait ab æquatore 5 gradibus in Boream, à Fortunatis autem 86 abeſſe, quod non tantùm juxta recentiores chartas nimium eſt, ſed & Arabum dimenſiones multùm excedit, qui eam aliquot ſeculis frequentarunt, etiam ſuperſtitionibus ſuis infecerunt, antequam noſtris innoteſceret; atq; in climatis infimi parte penultimâ locant, h. e., circa longitudinis gradum 150, ut è Nubienſi Geographiâ conjecturam capio.* ISMAELIS *enim* ABYL-PHEDAI *Canones in Europâ rariſſimos videre mihi nondum contigit. Poſſidet verò eos quoq; ſuprà dictus Dn. D. Tengnagelius, Vir talium callentiſſimus, in folio deſcriptos, & centum Thaleris emptos. Inde plurima pro illuſtratione præſentis hiſtoriæ peti poſſent, ſi quando in manus meas inciderent.* Hucuſq; Schikardus. Supereſt autem etiamnunc hic quoq; pretioſiſſimus

Codex

(1) Pag. 185 & 186.

Codex MStus in Auguſtiſſimâ Bibliothecâ Cæſareâ, & hanc *Tengnagelianæ* manus inſcriptionem in principio continet: *Coſmographia Arabica, Aureum & verè Regium opus, à Principe Abi Elphada Iſmaëlé, filio Regis Elaphtzal Noradini conſcriptum circa annum 1200.* In Catalogo autem quodam librorum Arabicorum, Perſicorum & Turcicorum, ejuſdem *Tengnagelij* manu propriâ ſcripto, titulus ejuſdem Operis ſic legitur: *Coſmographia ſive deſcriptio totius Orbis habitabilis, & præcipuarum ac nobilium Civitatum ſecundùm gradus longitudinis & latitudinis ad exemplum Ptolemæi, ex diverſis antiquis Arabicis Coſmographis collecta; complectens multa rara, inviſa & inaudita noſtris Europæis. Opus rarum, & in toto Orbe, excepto autographo, unicum exemplar, & quantovis pretio dignum. Autore Principe Abi Elphadâ Iſmaële, filio Regis Elaphtzal Noradini, qui vixit ante annos plùs minùs 400. in fol.* Hæc Tengnagelius. Quod ſupereſt, licet de *Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ* Hebraicis, Arabicis, Perſicis, Turcicis, aliarumq; Orientalium linguarum Codicibus MStis *peculiari* deinceps *libro* in hiſce *Commentarijs* agere conſtituerim, ut tamen in anteceſſum qualitercunq; illis gratificer, qui hoc ſtudiorum genere delectantur, ſpeciminis loco hîc ſubjungo nonnullorum ejus generis Codicum titulos, uti eos ab ipſo *Tengnagelio* partim in principijs illorum Codicum, partim autem in duobus imperfectis eorundem Indicibus, conceptos & ſcriptos reperi.

CATALOGUS

Quorundam *MStorum Codicum* Arabicorum, Perſicorum, Turcicorum, & Hebraicorum, quos V. CL. *Sebaſtianus Tengnagelius* legavit *Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſi*, ubi etiamnunc ſummâ curâ adſervantur.

Alcoranum Arabicè cum *verſione interlineari Turcicâ.* Codex rarus & in ipſo Oriente inventu difficillimus. fol. N. 1.

Iſmaëlis Abi Elphadæ Principis Emiſeni in Syriâ *Coſmographia* Arabicè ſecundùm gradus longitudinis & latitudinis, ex diverſis Arabicis antiquis Autoribus collecta. fol. N. 2.

Annales rerum à *Muhammede*, ejuſq; ſucceſſoribus *Caliphis*, Regibus & Principibus Muhammedanis, ubiq; gentium geſtarum ab initio ejus ſectæ uſq; ad *Muratis* ſive *Amuradis Tertij* Imp. Turcarum obitum; compoſiti à *Seid Muſtapha* filio *Haſenis*

Huſe-

Huſeïnis, aliàs appellato *Genabi*. Liber rarus & auro contra charus. Turcicè. in fol. N. 3.

Mirchondi ſive *Emir Choand* Hiſtoriarum Tomi duo. Primus Tomus continet Hiſtoriam *à Condito Mundo*, & vitas omnium Prophetarum & Philoſophorum Illuſtrium Græcor.; item vitas Regum *Perſarum* antiquorum uſq; ad *Muhammed*. Secundus complectitur vitas *Muhammedis, Ebubecher, Omar, Othman & Ali*, copioſiſſimè. Hiſtoria rara, linguâ Perſicâ eleganter ſcripta. fol. N. 4.

Compendium Hiſtoriæ *Mirchondææ* autore *Temur Chan*, filio ejuſdem *Mirchondi*, Perſicè. fol. N. 5.

Lexicon *Perſicum Turcicâ linguâ explicatum*, autore *Emir Huſeïn Ajaſſi*, cum interpretatione ipſius *Sebaſtiani Tengnagelij* latinâ, quam compoſuit Anno 1614. in fol. N. 9.

Lexicon *Arabicum Turcicè explicatum* Anonymi. fol. N. 13.

Hiſtoria Turcica de rebus geſtis *Suleymanni* Imp. Turcarum, autore *Niſchangi Baſsâ*, id eſt, *Baſsâ Cancellario*, conſcripta ſtylo Turcico-Arabico-Perſico elegantiſſimè. fol. N. 14.

Chronicon Arabicum ab exortu *Muhammedis*, uſq; ad *annum Hegiræ ſexcenteſimum quinquageſimum octavum*, ex Arabicis & Chriſtianis autoribus collectum. fol. N. 15.

SCHOLION.

Æra ſive Epocha annorum *Hegiræ* vocatur ſupputatio temporum, quâ *Arabes, Turcæ*, cæteriq; *Muhammedani* utuntur, in perpetuam memoriâ perſecutionis Pſeudo-Prophetæ *Muhammedis* ob novæ religionis profeſſionem & fugæ ipſius ex urbe *Mechâ*. Contigit autem hæc *fuga* anno Æræ Chriſtianæ vulgaris *ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo*, anno Imperij Heraclij *duodecimo, veſperâ* diei *decimi quinti* Julij, *ineunte* ſecundùm conſuetudinem Judaicam *feriâ ſextâ* ſive *die Veneris*; quem diem propterea *Muhammedani* tanquam ſacrum colunt eâ reverentiâ, quâ *Judæi* Sabbatum, & *Chriſtiani* diem Solis ſive Dominicum. Hinc igitur incipit *annus primus Hegiræ*; ideoq;, ſi anno Chriſti 622, addantur anni *Hegiræ* 658, prodit annus Chriſti 1280, qui reſpondet *anno Hegiræ ſexcenteſimo quinquageſimo octavo*, quo ſuprà memoratum *Chronicon Arabum* compoſitum eſt.

Tractatus eruditiſſimus & elegantiſſimus *de Admirandis* ſive *Mirabilibus rerum creatarum*. Continet Hiſtorica, Phyſica & Mathematica complura, ſtylo mixto *Turcico-Arabico* ſcript. in 4to. N. 16.

Hiſtoria omnium *Prophetarum* elegantiſſimè ſcripta unà cum *punctis vocalibus*. 4to. N. 17.

Lexicon Arabico-Turcicum copioſum & accuratum, autore *Muſtaphâ fil. Schemſeddini Kara-Hiſari* (id eſt, *ex nigro caſtello*) vulgò vocatum *Achteri*. in 4to.

Lugat Halimi, id eſt, Lexicon *Perſicum Turcicè & Arabicè* explicatum, adjunctis ſcriptorum *Perſarum* autoritatibus, autore (1) *Lutph-alla B. Ioſeph Halimi.* Rarum & inſigne Opus, in 4to.

Hiſtoria *Stirpis Othomanicæ* ab initio *Sultani Othomani* uſq; ad Sultanum *Soleymannum*, Turcicâ linguâ. in 4to. Deſinit in anno Hegiræ 956.

Vitæ *Sanctorum* quorundam *ſectæ Muhammedicæ*, ſive *Muſulmanicæ*, quorum Index in frontiſpicio libri extat. Turcicè.

Liber tractans artem divinandi ex *Alcorano*, & continens tria opuſcula de eâdem materiâ. Arabicè.

Eod. Cod. *Calendarium Turcicum*; & Diſtantiæ ſive intervalla præcipuarum *Vrbium Muhammedani Imperij*, per milliaria computata, à *Conſtantinopoli* Vrbe Regiâ. in 4to.

Hiſtoria *Othomãnica* à condito Imperio *Othomannico* uſq; ad annũ *Hegiræ* ſive *Æræ Muhammedanæ* (2) 870. Turcicè. in 4to.

Libellus de *Geomantiâ*, Turcicè. in 4to.

Hiſtoria Miſcella, continens *Mundi* creationem, *Califarum* ſive Succeſſorum Muhammedis & *Ægypti* Sultanorum ſeriem, aliaq; cùm Hiſtorica, tùm Ethica. in 4to. Elegans liber.

Hiſtoria de Regibus *Sinæ* & *Perſiæ*, initiò mutila. Turcicè. in 4to.

Hiſtoria *de odio novercali* per Dialogum, in quo colloquuntur *Rex, Regina*, & *Veziri* ſive *Conſiliarij Regis*, qui confutant calumnias à Regina privigno objectas; è Perſicâ in Turcicam linguam traducta, & in 40 noctes diviſa. in 4to.

Dictionarium ſive Explicatio vocum difficiliorum *Arabicarum* in *Miſnevi* Scriptore *Persâ*, & in *Chuliſtan*, ſive *Roſeto*, libro morali apud *Perſas* celeberrimo, occurentium, *Arabicè & Perſicè*. Item Dictionariolũ *Arabico-Turcicum* in 4to. N. 29.

Liber *Perſicâ* lingâ, eleganti ſtylo & manu conſcriptus *de Rege ſive Principe formando*, per ſententias, exempla & fabulas. Liber nobiliſſ. in Perſide. Vocatur *Anvar Suheili.* in 4to. Traduct. ex linguâ *Indicâ* in *Perſicam.* N. 30.

Abd Elbaki, Poeta celeberrimus apud Muhamedanos. Floruit ſub Sultano *Suleymanno.* Eleganter exaratus Codex in 4to. N. 31.

Precationes & Capitula quædam ex *Alcorano*, Arabicè & Turcicè in 8tvo. N. 33.

Sententiæ morales variæ ex *Locmano, Platone, Ariſtotele, Diogene* & alijs Philoſophis, mutilæ initio & fine. Arabicè. in 8tvo. N. 34.

(1) *In principio hujus libri ejuſdẽ* Tengnagelij *manu paulo aliter ſcriptum legitur hoc modo:* Lateph Alla Ben Abi Joſeph El-Halimi.

(2) *Anno Æræ Chriſtianæ* 1492.

Miſcellanea quædam *Arabicè* & *Turcicè* ſcripta à captivo quodam in Germaniâ, in 8tvo. N. 36.

Miſcellanea quædam partim *Arabica*, partim *Syriaca*, vetuſtate detrita & lacera. (1) *Aſcetici* cujuſdam ſcriptoris, Inſtitutio ad *Monachos*. *Pſalmi* quidam Arabicè. Vita *S. Georgij Martyris*. Sententiæ Apocryphæ *SS. Joan. Andr. Thomæ, Marci, Lucæ, Matthæi, Petri*, &c. Hymnus in *S. Georgium Martyrem*, & in *S. Barbaram*. Hymnus in *B. Virg. Mariam*. *Lockmanni* Sapientis Præcepta ad filium. Carmen *de vitijs*, & de *pœnis inferni*. Hymnus in *Nativitatem Chriſti*. Nota dierum malè auſpicatorum ſingulis menſibus, & *Prognoſticon* ſingulorum annorum, à *Daniele Prophetâ* editum, apocryph. (2) Hymni aliquot in *B. Virg. Mariam* linguâ *Syriacâ*. Fragmentum duorum foliorum *de Planetis Syrè*; cum alijs fragmentis, in 8tvo. N. 37.

(1) *Videtur eſſe* S. Ephræm Syrus. *de quo vid. ſuprà Additam. 3. pag. 117 & deinceps.*

(2) *Horum Hymnorũ, ut & præcedentium, autorẽ eſſe exiſtimo paulo antè memoratũ* S. Ephrẽmũ Syrũ, *cujus* Canticum de B. Virg. Mariâ & Magis, è Syriacâ *linguâ ab* Abrahamo Ecchellenſi Maronitâ *latinè verſum, prodijt* Romæ *in lucẽ A.* 1645 *ſtudio Ioannis Baptiſtæ Mari & typis Franciſci Monetæ.*

Explicatio *Deciſionum* & *rituum Muhammedicorum*, ſive *Iura* & *Cærimoniæ* eorum, *Arabicè* eleganter ſcript. in fol. N. 38.

Muhammedin, ſive Vitæ *Muhammedis, Abu-Becher, Omar, Othman* & *Ali* carmine *Turcico* deſcriptæ. fol. N. 39.

Diſputatiuncula cujuſdam *Hiſpani* Apoſtatæ adverſus *Chriſtianos* & *Judæos*, Arabice, charactere *Africano*. Inſeruntur multa Philoſophica ex *Ariſtotele, Algazele, Averroe*, &c. In fol. N. 40.

Explicatio rituum *Muhammedicorum*, Arabicè, elegant. ſcript., in fine mutil. fol. N. 41.

Aben Sinæ ſive *Avicennæ Liber ſecundus de Medicamentis Simplicibus*, antiquo *Africano* charactere, *Arabicè*. Diſcrepat in multis ab excuſo exemplari *Romano*. fol. vel 4to grand. Rarus & eximius Codex. N. 42.

Evangelia quatuor Arabicè adjunctis Evangeliſtarum Vitis & varijs ex Textu Syriaco, Ægyptio & Græco lectionibus ad marginem adſcriptis. Antiquus, rarus & magni pretij Codex in 4to magno. N. 43.

SCHOLION.

Ex hoc præſtantiſſimo Codice MSto prodierunt duo illa *Petri Kirſtenij Vratislavienſis* opuſcula in fol., quorum prioris titulus eſt: *Petri Kirſtenij Vratisl. Philoſ. & Med. D. Vitæ Evangeliſtarum quatuor, ex antiquiſſimo Codice MSto Arabico Cæſareo erutæ: Breslæ typis Arabicis ac ſumptibus Autoris A. 1608.* Poſterioris autem inſcriptio ita ſe habet: *Petri Kirſtenij Philoſ. & Med. D.*

Notæ in Evangelium S. Matthæi ex collatione textuum Arabicorum, Ægyptiac. Hebræ. Syriacor. Græcor. & Latinorum. Breslæ typis Arabicis ac ſumptibus Autoris A. 1611. In *prioris* horum duorum Opuſculorũ *Epiſtolâ dedicatoriâ ad Imp. Rudolphum II,* pag. 5, fit mentio *Tengnagelij,* & jam memorati Arabici *Codicis* ejus MSti his verbis: *Hujus noſtri laboris Arabici exercitium, ut ſtudioſi haberent luculentius, conſtitueramus quatuor Evangeliſtarum Prolegomena, & illorum Evangelijs ſubjuncta, continentia multa, omnibus Chriſtianis ſcitu non inutilia, ex antiquiſſimo manuſcripto Codice Arabico, à Viro humaniſſimo & Doctiſſimo Dn. Sebaſtiano Tengnagel Sicambro, S. Cæſ. Maj. Veſtræ Bibliothecæ, quæ eſt Viennæ in Auſtriâ, Præfecto digniſſimo, eidem Bibliothecæ, ſi quid ipſi fatale evenerit, dato, legato, tranſcribere & ad verbum pro tenuitate noſtrâ latina facere, ac S. Cæſ. Maj. Veſtræ debitâ animi devotione offerre. At dum in fodinis hiſce Arabicis venas inquirerem auripuriſſimi, tantis difficultatibus, (ſecundum illud* δύσκολα τὰ καλὰ) *quaſi catenis, id affixum eſſe reperi, ut multoties cœptum opus abijcere, ac conſilium in totum mutare decreverim. Nam Codex præ antiquitate plurimis in locis, maximè in principio & fine, non parùm ſitu carieq́ depravatus erat, imò & à vermibus non paucæ voces eroſæ. Librarius cujus manu hic Codex ſcriptus fuit, magnâ uſus eſt libertate ductuum literarum. Non rarò enim literas, omnibus hujus linguæ doctis illigabiles habitas, ductus licentiâ, fortè ornatus gratiâ, cum ſequentibus ligavit, quaſdamq́ minùs diſtinctè pinxit, adeoq́ legenti, non paucos hanc ob cauſam inijcit ſcrupulos. Sæpiſſimè puncta eſſentialia omiſit, quòd non Europæis, ſed Arabibus ſcriberet. Tandem aliquot voces in iſtis occurrebant, quarum ſignificatio ad nos nondum pervenit. Diſſuadebat tamen abjectionem hujus propoſiti,* &c. Hæc *Petrus Kirſtenius* in Epiſtolâ dedicatoriâ *prioris* Opuſculi. In *poſterioris* autem Opuſculi Præfatione ad Lectorem, eundem *Tengnagelianum* Codicem laudat his verbis: *Ne autem ſis neſcius, è quorum textuum collatione has Notas conſcripſerim, ſcito me adhibuiſſe MStum Arabicum, ad quod in margine diverſæ lectiones ex exemplari Ægyptiaco, Syriaco, & Romano ſive Latino adſcriptæ erant; è quibus marginalibus cuilibet cordato conſtat, opinor, quâ diligentiâ ac quanto labore, hiſtoria Salvatoris noſtri ab ipſis etiam Arabibus & Barbaris legantur ac tractentur, dum verum ſenſum ex tot linguarum collatione elicere conantnr. Quæ verò è textu Ægyptiaco adſcripta erant*

variæ lectiones, eas maximâ ex parte his meis Notis inſerui. Hucuſque *Petrus Kirſtenius*, qui licet beneficio *Tengnageliani* hujus Codicis MSti illuſtrando *Novo Teſtamento* haud contemnendam navârit operam, longè tamen majores ejuſdem Codicis fructuosè utendi ſuperſunt reliquiæ.

Commentarius *Anonymi* in *Alcoranum, Arabicè*, mutil. principio. in 4to N. 44.

Libellus *de intentione vultus ad Deum*, autore *Murade Beg*, Interprete *Solejmanni* Imperatoris, Turcicè & Latinè. 4to. N. 45.

Aben vel *Ibn Bitbar* liber *de Simplicibus ad curandos omnes corporis humani morbos*, diſtinctus in XX capita, Arabicè. N. 49.

Tractatus de *Ritibus* & *legalibus* Muhammedanorum. *Turcicè* 4to. N. 50.

Alcoranum Muhammedis *Arabicè*, Duo folia deſunt ab initio. 4to. N. 51.

Chuliſtan ſive *Roſetum*, liber moralis & ſententioſus, in *Perſiâ* celeberrimus. *Perſicè*. 4to. N. 52.

Dictionarium *Arabico-Turcicum*. 4to. N. 53.

Formulæ diverſorum contractuum, Inſtrumentorum, & Epiſtolarum, *Turcicè*. 4to. N. 54.

Formulare Epiſtolarum. *Turcicè*. N. 55.

Souretb ſive capitula quædam ex *Alcorano*, quæ in Muhammedanorum templis recitari ſolent. 4to. N. 56.

Pars *ſecunda* quorundam capitulorum ex *Alcorano*, quæ in templis recitari ſolent. 4to. N. 57.

Pars *tertia* quorundam capitulorum. ex *Alcorano*. 4to. N. 58.

Pars *quinta*. 4to. N. 59.

Pars *decima*. 4to. N. 60.

Pars *viceſima*. 4to. N. 61.

Dictionarium *Turcico-Perſicum* autore *Scabidi*. 4to. N. 62.

Grammatica Arabica *Ahmedus B. Aly, B. Meſud*, & *duæ* aliæ Grammaticæ. 4to. N. 63.

Boſtan ſive *Hortus*, Poema *Perſicum*, autore *Scheich Saadi*, Poetâ apud Perſas nobiliſſimo, *Perſicè*. 4to. N. 64.

Libellus elegans moralis, partim verſu, partim proſâ ſcriptus *Perſicè*. N. 65.

Liber *Schab Cheda*, Hiſtoria fabuloſa, carmine *Turcico*, 4to. N. 66.

Alcoranum mutilum, *Arab*. 4to. N. 67.

Liber continens diverſa Poematia *Perſico-Turcica*. 8vo vel 4to potiùs. N. 68.

Negiati Perſici Poetæ elegantiſſima Poemata lingu. *Perſ. Arab.* & *Turcicâ* mixtis. (1) Floruit ſub *Baiazid* & *Solejmanno* Impp. Elegant. exarat. in 8to. N. 72.

Poematum liber linguâ *Perſicâ* initio mutil. 4to. N. 73.

Chuliſtan ſive *Roſetum* linguâ *Perſicâ*. Liber moralis tersè nitideque ſcriptus. 4to N. 74.

Liber de *Oratione* & *ritibus* Muhammedanorum, *Arabicè* 4to. N. 75.

Opuſcula quædam Aſtronomica *Arabicè*. N. 76.

Dictionarium *Perſico-Turcicum*, autore *Lateph-alla filio Ioſephi Halimi*, eleganter ſcriptum. 4to. N. 77.

Grammatica *Perſica* & Dictionarium *Perſicum*. 4to. N. 78.

Chuliſtan ſive *Roſetum*, Perſicè. in 8to. N. 79.

Hiſtoriâ *Turcicâ* linguâ ab origine ſtirpis *Othomannicæ* uſque ad Imp. *Bajazidem II* ſive annum Hegiræ (2) 896, carmine & proſâ. in 8tvo. N 80.

Chemal Baſſæ varia opuſcula *Arabicè*, tenui charactere ſcripta, in 8tvo. N. 81.

Capitula quædam & preces ex *Alcorano*; ut & *Calendarium Turcicum* rarum & mirandum, quod complectitur non ſolùm feſta *Muhammedanorũ*, ſed & *Chriſti* & *B. Virginis Mariæ*, aliorumq; *Sanctorum*, partim *Turcicè*, partim *Arabicè*, in 8tvo. N. 82.

Poemata elegant. linguâ *Perſicâ*. 8tvo. N. 83.

Poematum libellus *Perſicè*. 8tvo. N. 84.

Grammatica *Ahmedis Ibn Ali, Ibn Meſud*. 8tvo. N. 85.

Colloquia *Perſicè* & *Turcicè*, elegans libellus ad diſcendam linguam *Perſicam*.

Eodem Codice: *De peregrinatione Mechanâ* libellus;

Dictionariolum in *Chuliſtan*;

Aliud Dictionariolum *Arabico-Turcicum*. in 8tvo. N. 86.

Collectanea ex diverſis antiquis Scriptoribus *Arabicis* congeſta, complectentia *Hiſtorias*, *doctorum Virorum Vitas*, *Geographica*, *Ethica*, & variam variarum rerum miſcellam: elegant. ſcript. in 8tvo. N. 87.

Tredecim libelli precationum *Arabicæ* & *Turcicæ* in 12mo & 16to.

Nonnulla opuſcula incompacta, & mutila folia *Arab.* & *Turcica*.

Alcoranum Arabicum elegantiſſimâ manu exaratum, quod Tengnagelio donavit Eruditiſſimus pariter ac Generoſiſſimus *Baro Enenckelius*. in 8tvo. N. 101.

Alcoranum ſatis pulchrè ſcriptum initio mutil. in 8tvo. N. 102.

Alcoranum nitido tenuiq; charactere in 8tvo. N. 103.

(1) *In alio quodã Tengnagelii Catalogo legitur:* Videtur ſub Bajazid & Sultano Selym ejus filio floruiſſe.

(2) *Anno Æræ Chriſtianæ* 1518.

Alco-

Alcoranum pulcherrimo tenuiſſimoq; charactere *Bagdadi* exaratum à *Jacuto Muſtazimo*, anno Hegiræ Muhammedicæ (1) *ſexcenteſimo quinquageſimo quinto*; in 12mo. N. 104.

(1) *Anno Æræ Chriſtianæ* 1277.

Capita quædam ex *Alcorano* elegantiſſimè ſcripta in 12mo. N. 105.

Libellus docens, quantum *preces* nonnullæ *Muhammedanæ* valeant, & à quibus liberent.

Eodem Codice: Fabuloſæ quædam hiſtoriæ de *Muhammede* & ſocijs ejus, *Turcicè*, in 4to.

Hiſtoria de cæde *Huſſein*, filij *Aly*, generi *Muhammedis*, patratâ à *Iezid* filio *Muaviæ*, carmine *Turcico* compoſita. Mutil. init. 4to.

Libellus *Arabicus* cum verſione interlineari *Turcicâ*, in 8vo.

Quinq; libelli, ſive Enchiridiō precū *Turcicarū* & capitulorū aliquot ex *Alcorano*, quæ *amuleti* loco appenſa collo geſtari ſolent. In 16to.

Capita quædam *primæ* & *ſecundæ Epiſtolæ ad Corinthios*, linguâ *Arabicâ*, in 4to.

Rudimenta quædam linguæ *Arabicæ*, collecta à *Joanne Alberto Widmanſtadio*, in 4to.

Enchiridion precum & capitulorum *Alcorani*, involutum thecæ laneæ cæruleæ. in 16to.

Calendariū Arabico-Turcicū, adjectâ & *Perſarū* numerandi ratione. Item Explicatio in *Alcoranū*; Tractatus de *XII ſignis Zodiaci*, & de *arte Geomantica*; *nec non alia miſcellanea Aſtrnomica*. In 4to.

Enchiridij *precum* tria exemplaria 12mo.

Lexicon *Syro-Arabicum*, à *Moyſe* oriundo è *Tzaurâ* prope *Meredin*, filio Sacerdotis *Isbaki* è pago *Kolack*, *Ignatij Patriarcha Antiocheni* Legato collectum. fol.

Rituale Eccleſiaſticum *Serviorum* vel *Bulgarorum*, linguâ & literis eorum exaratum in 4to.

Pſalterium Davidicum lingua & charactere *Syriaco*. Codex antiquus in 8vo.

Officium precum ſacrarum linguâ & charactere *Æthyopico* ſive *Abyſſino*. Codex antiquus in 12mo In membranâ.

Thoros Patriarchæ Armeniorum Commentarius linguâ *Armenâ* in *Evangelia*. Floruit is A. 1054. Codex antiquus, in 8vo.

Libellus precum lingua *Armena*. Codex antiquus in 12mo.

Petri de Alcala Lexicon *Arabico-Hiſpanum Granatenſe*, à *Sebaſtiano Tengnagelio* in Ordinem Alphabeticum redactum. fol.

Abdallæ Buchari Hiſtoria de rebus *Muhammedis*, fol.

Sylloge Miſcellanea vocabulorum *Arabicorum*, *Perſicorum*, *Turcicorum*,

rum, & *Armenicorum* cum interpretatione *latinâ*; ut & *Calendarium Sanctorum Arabicè*; ex Bibliothecâ Palatinâ.

Miſcellanea *Arabica*, *Turcica* & *Hebraica*, à *Sebaſtiano Tengnagelio*, cùm his linguis operam dare inciperet, collecta.

Catalogi diverſi librorum aliquot rariorum, & *Dictionarium Arabicum* cum latinâ interpretatione, ex Bibliothecâ Palatinâ. fol.

Joſephi Barbati Memphitici, Linguæ ſanctæ cæterarumq; Orientalium lingnarum in Academia Lovanienſi Profeſſoris Compendium Grammaticæ *Arabicæ*. A. 1620, in fol. Bis.

Sylloge variarum Epiſtolarum aliarumq; Schedarum *Turcicarum*, & *Arabicarum*. In fol.

Alcoranum Arabicum. In 4to.

Pars *decima tertia* capitulorum quorundam ex *Alcorano*, quæ in templis *Muhammedanorum* ſolent recitari. *Arabicè*. In 4to.

Azoaræ quædam *Alcorani*, *Arabicè*. In 4to.

Gemaleddin Ibn Albagieb Compendiũ expoſitionis *Alcorani*. In 4to.

Expoſitio quædam in *Alcoranum Arabice*. In 4to.

Obſervationes Grammaticæ in *Alcoranum* autore *Gemaleddin Ebu Omar, Ben Albagieb*. *Arabicè*. In 4to.

Grammaticæ Obſervationes autore *Abdallab, Ben Haſcbam Alanzari Alnebui*. In 4to.

Geographiæ fragmnentum eximium & quantivis pretij linguâ *Perſicâ*. In 4to.

Colloquium *Perſico-Turcicum*, & Profeſſio religionis *Turcicæ*, aliaq; miſcellanea, in 8tvo.

Haphitz Sciraſi Poetæ *Perſici* Poemata eruditiſſima & elegantiſſima, in 8tvo.

Liber elegans & jucundus de *mirabilibus rerum creatarum*, *Turcicè* & *Arabicè*, in 8tvo.

Libellus *Arabicus*, quem *Joſepho Scaligero* donavit *Carolus Labbæus* In 8tvo.

Alcoranum Muhammedis *Arabicum*, incredibili elegantiâ exaratum, in 8tvo minori vel 12mo majori.

Andreæ Bellunenſis Gloſſarium nominum *Arabicorum* ex *Avicennâ*, aliaque miſcellanea *Arabica*, in 12mo.

Libellus *Arabicus* continens varias *preces* & *ſuperſtitioſas figuras*, in 12mo.

Liber *Arabicus*, quem *Sebaſtiano Tengnagelio* donavit *Petrus Paſmannus*, ex Patre Societatis JESV Archiepiſcopus *Strigonienſis*, ac demùm *Cardinalis*.

אברהם

מחברות ר' שלמה ב'ר אברהם· hoc eſt, *Mechabberoth* ſive *Compoſitiones R. Salomonis filij R. Abrahami.* Eſt autē *Lexicon Hebraicum, R. Davidem Kimchi* & alios Lexicographos antiquitate antecellens; conſcriptū anno Mundi ſecundum Epochā Judæorum 4921, hoc eſt, ante annos 450. Raræ notæ, & unicum in toto, ut exiſtimo, orbe exemplar. Auctor eſt *R. Salomon B.R. Abrahā, B. R.* פרחון· *Pirchon.* Collegit verò illud ex *Rabbi Saadiæ Gaon, R. Jehudah B. Chiug, R. Jonah B. Gana* Arabicis Gloſſarijs: item *R. Samuel* הנגיד· *Hannagid, R. Salomon* הקטן· Uſu, eſt Præceptoribus *R. Ephraim, R. Iehudah Levitâ, R. Aben Ezra.* Exaratum eleganti charactere in membranâ. In fol.

SCHOLION.

Utuntur *Iudæi* loco veræ Epochæ conditi Mundi artificioſâ Periodo Aſtronomicâ, à *R. Hillele Hannaſi*, qui circa annum Chriſti 344 potiſſimùm floruit, inventa, cujus primus annus reſpondet anno *Periodi Iulianæ* 953; à quo termino ſi continua annorum ſeries deducatur, neceſſariò ſequitur, ut annus Mundi Judaicus 4911, quo lexicon illud Hebraicum R. *Salomonis B. R. Abraham* fuit conſcriptum, cœperit autumno anni Æræ Chriſtianæ vulgaris 1160. Supputant enim Judæi ab initio Epochæ *Hillelis* uſque ad initium jam memoratæ *Æræ Chriſtianæ vulgaris* annos 3760; ideoq; ſi detur *annus Æræ Iudaicæ vulgaris*, & quis ſcire velit cui reſpondeat *anno Æræ Chriſtianæ vulgaris*, ſubtrahantur à dato anno mundi Judaico anni 3760; quo facto, reſiduum exhibebit annum Æræ Chriſtianæ vulgaris, cujus autumno propoſitus annus Judaicus finitur. Exempli causâ. Præſens annus Æræ Chriſtianæ 1664 eſt annus Mundi ſecundùm ſupputationem *Iudaicam* 5424; ſi ergò ab hoc anno 5424 *ſubtrahantur* anni 3760, prodit annus 1664, in cujus autumnum finis jam dicti anni *Iudaici* 5424 incidit. *Principium* autem ejuſdem anni 5424 reſpondet *autumno* anni Æræ Chriſtianæ 1663.

5424	Annus Mundi *Iudaicus* præſens.
3760	Intervallum temporis inter initium *Æræ Chriſtianæ* vulgaris & initium *Æræ* Mundi *Iudaicæ*.
1664	Annus Æræ Chriſtianæ vulgaris, cujus autumno reſpondet *finis* anni à creatione Mundi ſecundum ſupputationem Judæorum 5424.

ספר התסף השלם לאלזהראוי אמר משלם בן יונה *Elzabaravi* Medici Arabis vetuſti Methodus univerſalis medendi omnibus corporis humani morbis traductus ex *Arabicâ* linguâ in *Hebræam* à *Rabbi Meſculam ben Ionæ.* Liber rariſſimus & inventu difficillimus; conſcriptus eleganti charactere in membranâ A. Æræ Judaicæ (1) 5170, in 4to. N. 2. (1) *Anno Æræ Chriſtianæ* 1410.

Ibn Ruſchad ſive *Averrois* Epitome *Almageſti* ſive magnæ conſtructionis *Ptolemæi* Alexandrini, *Hebraicè.* Vertit illam ex Arabica lingua. *R. Iacob B. R. Aba Mori, B. R. Simſon, B. R. Antoli,* anno Æræ Judaicæ (2) 4991. 4to in chartâ. N. 3. (2) *Anno Æræ Chriſtianæ* 1231.

Eod. Codice: *Abi Ali Ibn Elbitam* Arabis opuſculum de *Sphærâ* ſive Introductio in *Aſtronomiam.* Tranſtulit id ex *Arabico*

in *Hebræum* ſermonem *R. Salomon* Medicus. Citatur hic autor ab *Averroe* in Epitome *Almageſti.*

Eod. Codice: *Euclidis Elementorum Geometricorum libri ſeptẽ*, verſi ex linguâ *Arabicâ* in *Hebræam* à *R. Iacob B.* (1) *Mechir.* Notabile autem eſt, quod Interpres hic in Procœmio conqueritur, *multos libros Iudaicos periiſſe, ideoq́; Chriſtianos Iudæis imperitiam ſcientiarum obijcere.*

ספר המולדות לאבן עזרא· Liber de *nativitatibus* ſive de *Aſtrologia Iudiciariâ, R. Abraham Aben Ezra* autore; bis, recentiori & antiquâ manu, in 4to N. 4

ראשית חכמה (2) *Aben Ezræ* libellus de *Aſtrologiâ Iudiciariâ*, 4to, in chartâ. N. 5.

Averrois Compendium in libros *Ariſtotelis de generatione & corruptione*, & in *parvâ Naturalia*, verſ. ex *Arabicâ* in *Hebræam* linguam à *R. Moſche*, (3) *Tabon B. R. Samuel, B. R. Iehudah.* 4to in chart. N. 6.

Eod. Codice: Libri *Ariſtotelis de animalibus* Hebr.

Libellus elegans *Aſtronomicus* verſu *Hebraico* conſcriptus ab incerto autore. 4to. N. 7.

Averrois Comment. in libros *Ariſtotelis de Animâ.* Hebr. ſcript. vetuſto charactere Africano. 4to in chart. N. 8.

Eodem Codice: *Fen tertia* libri primi *Canonis Ali Ibn Sinah* ſive *Avicennæ.* Hebr.

R. Moſche Ben Maiemon Cordubenſis opuſculum de *regimine ſanitatis* ſive *de ſanitate tuendâ*, Hebr. 4to in chart. N. 10.

Eod. Codice: *R. Abraham Aben Ezræ* opuſculũ *Aſtrologicum de nativitatibus* ſive *genituris.* Hebraicè.

Eod. Cod. *Chronologia Hebræorum* fine mutila.

Eod: Cod. ספר ב״ח (4) *Tractatus de animalibus* à ſermone *undecimo* incipiens, & deſinens in 18vo, autore incerto.

R. Moſche Ben Majemon opuſculum de *ſanitate tuenda* ad *Sultanum Ægyptium*, charactere quidem ſcriptum *Hebraico*, ſed linguâ *Arabicâ*, A. Mundi (5) 5017. 4to in chart. N. 11.

Eodem Codice: *R. Abrahami Aben Ezræ* opuſculum Aſtrologicum de *nativitatibus* ſive *genituris.* Hebraicè.

Muhammedis Alfargani, qui corruptè *Alfraganus* vocatur, *Iſagoge in Aſtronomiam*, princ. & fin. mutil. 4to in Chart. N. 12.

Ibn Ruſchad ſive *Averrois* Commentarius in *poſteriora Analytica Ariſtotelis*; 4to in Chart. N. 13.

Eod. Codice: ר׳ מנחם ריקנאט ſive *Rabbi Menachem Rekanat* ſive *Recinenſis*, qui obijt Anno Æ. C. 1290, liber quidam Cabaliſticus.

Eod.

(1) *A* Buxtorfio *in Appendice Bibl. Rabinicæ pag.* 456 *&* 467 *vocatur* R. Iacob ben Machir.

(2) Reſchit Chochmah, *h.e.* Principiũ Sapientiæ. *Vide Buxtorf. Bibliothec. Rabbin. pag.* 407.

(3) *Hic ſine dubio eſt* R. Moſche Abẽ Tybbon, qui Euclidem ex Arabico in Hebræum *ſermonem tranſtulit A.* 1270. *Vid Buxtorf. Bibl. Rabbin. pag.* 316.

(4) *Videtur mihi eſſe fragmentũ librorũ* Ariſtotelis *de* Hiſtoriâ animaliũ, *qui abbreviatè citari ſolent hoc modo* ב״ב״ח *Vid. Buxtorf. de Abbreviaturis Hebræorum pag.* 50.

(5) *Anno Æræ Chriſtianæ* 1257.

Eod. Codice: ספר הבהיר ſive *Sepher babbabir*, liber Cabaliſticus antiquiſſimus de *myſterijs nominum divinorum*; cujus autor ר׳ נחוניא בן הקנה ſive *R. Necboniab ben Hakkana*, qui (1) *triginta* circiter aut *quadraginta* annis ante *Chriſtum* floruit.

(1) *Vide Prodrom. Hiſtoriæ meæ Literariæ Lib 2 Sciagraph. capit. 16.*

Eod. Codice: Excerpta ex מדרש ſive *Medraſcb*, hoc eſt, *Commentario* allegorico & hiſtorico in librum *Ruth* & *Canticum Canticorum*.

ספר אור יי׳, *Sepher Or Adonai*, h.e. Liber inſcriptus *Lux* ſive *Lumen Dei*, qui eſt *Commentarius Philoſophicus* in *Rambam* ſive *R. Moſche ben Majemon* מורה הנבוכים *More Nevochim*. h.e. *Doctore perplexorum* ſive *Directorem dubitantium*, autore *R.* (2) *Chaſdai Karſecas B. R. Iehudah*, qui Philoſophus inſignis & rarus inventu eſt. Vixit ante (3) annos 350 plùs minùs. 4to in Chart. N. 14.

(2) *A Buxtorſio appellatur* Chaſdai Craſcas *Biblioth. Rabbin. pag.* 310. *&* 366.

(3) *Secundum Buxtorſium obijt A.* 1396.

Eod. Codice: *Abdallæ Muhammed Ebubecher Ben Muhammed Tauriſi* Commentarius in loca quædam obſcuriora Philoſophica *Directorij dubitantium R. Moſche Ben Majemon*. Tranſtulit eum ex *Arabico* in *Hebræum* ſermonem *R. Iſaac B. R. Nathan Cordubenſis*.

Herbarium linguâ *Arabicâ, Hebraicâ* & *Hiſpanicâ*, cujus titulus גרם המעלות editum *Arabicè à R. Iehoſchua B. Vivis Elraki*, *Hebraicè* autem verſum à *R. Ioſepho Vidal B. Benbenaſt*. 4to, partim in membranâ, partim in chartâ. N. 15.

R. Salomonis B. Abraham Avogador Tractatus de *Sphærâ* Hebraicè. 4to, partim in membranâ, partim in chartâ. N. 16.

R. Abrahami bar Chijah Hiſpani Tractatus de *Sphærâ Mundi*, Hebraicè ſcriptus A. Æræ Jud. (4) 5232, & inſcriptus צורת הארץ, *Tzurath haaretz*, h. e. *Figura terræ* 4to, partim in membrana, partim in chartâ. N. 17.

(4) *Anno Æræ Chriſtianæ* 1472.

Eod. Codice: *Muhammedis Alphargani* Iſagoge in *Aſtronomiam*, verſa Hebraicè à *R. Iacob Antoli*.

Eod. Codice: *R. Abraham Aben Ezra* liber *Aſtrologicus* inſcriptus ראשית חכמה ſive *Principium ſapientiæ*.

Eod. Codice: Anonymi cujuſdam *Tabulæ Aſtronomicæ* Hebraicè.

Eod. Codice: Anonymi cujuſdam opuſculum de *Eclipſibus Solis & Lunæ*, Hebraicè.

Eod. Codice: Anonymi cujuſdam Tractatus *de Animâ*, Hebraicè.

Eod. Codice: *Avicennæ liber de Cœlo & Mundo*, Hebraicè. Inſcriptio libri hæc eſt: ספר השמים והעולם לאבן סינא

Eod. Codice: *Ariſtotelis Phyſiognomonia* ad Alexandrum Magnum.

Eod. Codice: *Epiſtola* quædam *R. Moſche ben Majemon* ad filium, quæ multò emendatior eſt excuſâ.

Ariſtotelis libri duo de Demonſtratione cum Commentario *Averrois*, Hebraicè, 4to, in membranâ, antiquo charactere Hiſpanico. N. 18.

Ebubecher ben Tophil Arabis Tractatus philoſophicus reconditæ eruditionis *de vitâ Anachoretæ* ſive *ſolitarij*, cum Commentario cujuſdam *Philoſophi Hebræi*. Citantur in hoc opere multi *peregrini* ſcriptores Codex rarus & inventu difficilis, antiquo charactere in chartâ, 4to. N. 19.

Epitome totius Philoſophiæ Peripateticæ ſive *Ariſtotelicæ*, ab incerto Interprete ex *Arabicâ* linguâ in *Hebræam* translata, & eleganti antiquo charactere exarata in chartâ, 4to. N. 20.

Aben Sinæ ſive *Avicennæ* Canon *primus* interprete *R. Nathan Bagad Hamathi filio Eliezeris*, Hebraicè, 4to, in chartâ. N. 21.

Eod. Codice: Commentarius in quædam capita *primi Canonis Avicennæ*; fortè ejuſdem *R. Nathan*, Hebraicè.

Eod. Codice: *R. Abraham ben R. Iehudah* Tractatus de *urinis*, Hebraicè.

Eod. Codice: Tractatus cujuſdam Judæi Germani de *urinis*, Hebraicè.

Eod. Codice: Tractatus *de compoſitione medicamentorum*, incerto Hebr. autore, Hebraicè.

Eod. Codice: Anonymi Tractatus *de pulſibus*, Hebr.

Eod. Codice: Anonymi Tractatus *de diverſis experimentis Medicis*, Hebr.

Eod. Codice: Anonymi *Nomenclatura quorundam ſimplicium*, Hebr.

Ibn Ruſchad ſive *Averrois* Commentarius in *VIII libros Phyſicorum Ariſtotelis*; Hebraicè, 4to, in chartâ. N. 22.

Petri Hiſpani Logica Hebraicè partim in membranâ, partim in chartâ, 4to. N. 23.

Eod. Codice: Tractatus de *Scientijs generatim* ſive *univerſaliter*, anonymo quodam Judæo autore, Hebr.

Eod. Codice: *Ibn Ruſchad* ſive *Averrois* Commentar. in *Organum Ariſtotelis, Iſagogen Porphyrij, Categorias; de Interpretat.*

pretat.; *in priora & poſteriora Analytica*, translat. ex *Arabico* in *Hebræum* ſermonem à *R. Iacob Antoli*, juſſu & impenſis Imp. *Friderici Secundi*, quem propterea in fine verſionis ſuæ laudat, ſimul etiam *optans, ut ſub Imperio ejus Meſſias Iudæorum exoriretur.*

Eod. Codice: בחינת עולם *Bechinath Olam*, h. e. *Probatio* ſive *Examen Mundi.* Liber egregius, quo *de contemnenda mundi vanitate*, & *quærendo regno Dei* agitur. De autore hujus Opuſculi diſceptant Judæi. A plerisq; tamen ejus autor creditur *R.* ידעיה *Iedaja Happenimi filius Abrahami Badreſchi*, qui circa annum Chr. 1298 *Barcione* floruit.

Eod. Codice: *R. Leonis* Commentarius in Opuſculum præcedens בחינת עולם

Claudij Galeni Opuſcula quædã Medica; nempe *de Sectis*, *Ars parva*, *de Pulſibus*, *de Vrinis*, *de Maraſmo* ſive *marcore*, *de Elementis*, *de Temperamentis*, *de Facultatibus naturalibus*, *de Oſſibus*, *de Diſſectione nervorum*, *de venarum & arteriarum ſectione*, *de Cauſis & ſymptomatibus morborum*, *de Locis affectis*, *de Febribus*, *de Criſibus*, *de Diebus decretorijs*, *de medendi methodo*, *de Sanitate tuendâ*; translata ex *Arabica* in *Hebraicam* linguam à *R. Chanin Ben Iſaac* ante annos plùs minùs *ſexcentos*. Hujus Interpretis fit mentio in epiſtolis *R. Moſche Ben Majemoni*, ubi verſiones ejus commendantur. Codex præſtantiſſimus partim in membranâ, partim in chartâ; fol. N. 24.

Averrois Epitome *Ethicorum Ariſtotelis*, ex *Arabicâ* in *Hebræam* linguam translata à *R. Ioſeph ben Caſpi.* *Averroes* abſolvit hoc opus anno *Hegiræ* Muhammedicæ (1) 572; Joſeph autem ben Caſpi vertit illud anno *Æræ Iudaicæ* (2) 5090. fol. in chartâ. Principium ejus hoc eſt: אמר יוסף אבן כספי

Eod. Codice: אמר חאמד אלגזאלי *Ebu Chamed Elgazali* Arabis Philoſophi, qui vulgò corruptè *Algazel* vocatur, tractatus *de Moribus*, variè interpolatus ab interprete *Hebræo R. Abraham B. R. Samuel Levitæ B. Chaſdai.* Principium ejus hoc eſt: אמר אברהם בר שמואל הלוי. Citatur in eodem Opere non longè ab initio אל מסעיר *El-Meſud Chronographus* excellens apud *Arabes*, cujus mentio fit in deſcriptione Africæ *Marmolij*, parte primâ, pag. 31, ubi perperam vocatur *Elmozaudi.*

(1) *Anno Æræ Chriſtianæ* 1194.

(2) *Anno Æræ Chriſtianæ.* 1330.

Eod. Codice: בן רשד *Ben Ruſchad* ſive *Averrois* ביאור *Biur* ſive *Commentarius in Politica Platonis*, ex *Arabicâ* in *Hebraam*

bræam linguam translatus à *R. Samuele B. Iehudah* Anno Æræ Judaicæ (1) 5082.

(1) Anno Æræ Chriſtianæ 1322.

Eod. Codice: *Ariſtotelis Epiſtola Ethica* verſa ex *Græco* ſermone in *Arabicum* ab *Ali* Medico, & porrò ex *Arabicâ* linguâ in *Hebræam* translata à יהודה בר שלמה זל בן חריזי h. e. *Iehudah Ben R. Schelomoh, (cujus memoria ſit in benedictione) Ben Charizi*, Medico celeberrimo.

Ibn Ruſchad ſive *Averrois* Commentarius *in Rhetoricam & Poëticam Ariſtotelis* ex *Arabicâ* in *Hebræam* linguam translatus à *R. Todros* anno *Æræ Iudaicæ* (2) 5097. *Averroes* autem abſolvit hunc Commentarium anno *Hegiræ Muhammedicæ* (3) 570. Codex præſtantiſſimus antiquo charactere Africano partim in membranâ, partim in chartâ exaratus *Avenione* anno *Æræ Iudaicæ* (4) 5120. in 4to. N. 26.

(2) Anno Æræ Chriſtianæ 1337.

(3) Anno Æræ Chriſtianæ 1192.

ארגוזה, *Arguzah* ſive *Cantica Avicennæ* Medica cum Commentario *Ebu Eluclid Ibn Ruſchad* ſive *Averrois*; Hebr. 4to, in chartâ.

(4) Anno Æræ Chriſtianæ 1460.

R. Levi Opus Aſtrologicum Hebraicum à Tractatu ſive *Portâ* 36tâ uſq; ad *quadrageſimam*, excerptum ex antiquis monumentis *Indorum, Perſarum, Ægyptiorum, Meſſalah, Ebu Maſer, Albatani, Eltzophi, Elchendi, Aben Ezra, Alfargani, Iechiæ B. Abi Mantzor, Abrahami Elzarkal, Elgazali, Elandruzgeri Iſraëlitæ*, & aliorum. Liber rarus & magni pretij, elegantiſſimo antiquo charactere exaratus in membranâ, in 4to. Utinam eſſet integer! N. 28.

Eod. Codice: *R. Iitſchak* ſive *Iſaac Ben Schelomoh* ſive *filij Salomonis* Tabulæ Aſtronomicæ Tunetanæ, Hebr. Inſcriptio Operis hæc eſt: אמר יצחק בן שלמה בן צדיק המכונה בן אלחדב.

Anonymi Tractatus de *mactatione omnium animalium Iudaicâ*. Hebraicè. N. 29.

Preces Hebraicæ, elegantiſſimo antiquo charactere exaratæ in membranâ. 4to. N. 30.

Experimenta quædam *Medica* & *Magica*, linguâ partim *Hebræâ*, partim *Arabicâ*, charactere Hebraico, in 8tvo. N. 31.

Anonymi cujuſdam Hebræi *Praxis Medica* ſive Methodus medendi omnibus morbis, diviſa in capita 150, & elegantiſſimo antiquo charactere Hebraico exarata in membranâ; in 4to. N. 32.

Eod. Codice: Anonymi cujuſdam Hebræi Tractatus *de Chirurgia*, continens capita 60. Hebr.

Eod:

Eod. Codice: Tractatus *de judicio urinarum*, continens capita 39. Hebr.

Eod. Codice: Tractatus brevis *de pulſibus*, continens capita 20. Hebr.

Eod. Codice: Tractatus brevis *de conſervandâ ſanitate*, continens tria folia. Hebr.

Eod. Codice: *R. Iebudæ B. Iacob Regimen ſanitatis*, continens folia octodecim. Hebr.

Eod. Codice: *Aben Sina* ſive *Avicennæ* Cantica, translata ex *Arabicis* in *Hebræos* verſus à *R. Salomone Ben Ioſeph* (1) anno Æræ Judaicæ 5022; unà cum luculento *Commentario* in eadem Cantica. Hebr.

(1) *Anno Æræ Chriſtianæ* 1262.

מחזור ſive *Machzor*, hoc eſt, *Cyclus* vel *Reditus in circulum*. Eſt autem liber precum, quo Judæi præcipuè utuntur in feſtis majoribus. Quæ quidem preces ferè omnes conſtant rhytmo, & adeò difficili ſermone conceptæ ſunt, ut à paucis Judæorum nunc intelligantur. Codex rarus, pretioſus, & induſtriæ ſimul ac elegantiæ incredibilis, antiquo venuſto charactere cum punctis vocalibus & accentibus exaratus in membranâ; in 4to. N. 33.

Compendium *Logices R. Moſche Ben Majemon*, Hebraicè partim in membranâ, partim in chartâ exaratum in 4to. N. 34.

Eod. Codice: *Porphyrij* Iſagoge in quinq; voces cum expoſitione *Averrois*. Hebr.

Eod. Codice: *Categoriæ Ariſtotelis* cũ Comẽnt. *Averrois*. Hebr.

Eod. Codice: *Ariſtotelis lib. de Interpretatione* cum Comment. *Averrois*. Hebr.

Eod. Codice: *Ebu Netzer Elpharabi*, Arabis Philoſophi clariſſimi libri *de Syllogiſmo, de Demonſtratione, & de Elenchis*. Hebr.

Eod. Codice: *Ariſtotelis* de *Demonſtratione* liber primus & ſecundus cum Comment. *Averrois Hebr.*

Omnia hæc jam enumerata opuſcula tranſtulit ex *Arabicâ* in *Hebræam* linguam *R. Iacobi Antoli* ſub Imp. Friderico II, (2) anno Æræ Judaicæ 4992.

(2) *Anno Æræ Chriſtianæ* 1232.

ספר התרומה *Sepher Hathrumah*, (3) Liber partim *juridicus*, partim *ritualis* exaratus eleganti charactere antiquo in membranâ; in fol. N. 35.

(3) *Vide Buxtorf. Biblioth. Rabin. pag.* 429.

(4) *Ebubecher Muhammed Ben Zacharia El-Razi* & aliorum quorundam

(4) *In Ioan. Anton. Lindani Bibliothecâ Scriptorum Medicorum perperam vocatur* Abubeter. *In Bibliothecâ autem Conſtantinopolitanâ Antonij Verderij multo etiam corruptiùs legitur* Beeczeber. *pag.* 62.

rundam veterum Medicorum nonnulla opuſcula Hebraicè. 4to, in chartâ. N. 36.

Almageſtum ſive Magna Conſtructio *Ptolemai* Hebraicè 4to in chartâ. N. 37.

Hippocratis Aphoriſmi cum Commentario Hebraicè. Fol. in chart. N. 38.

Libellus Hebraicus varias *Iudaicorum contractuum formulas* continens. 4to in charta N. 39.

Phyſica *R. Schemuel Aben Tybbon* Hebraicè elegantiſſimo charactere exarata in membranâ. In 4to. N. 40.

Eod. Codice: *Ioannicij* Comentar. in artē parvā *Galeni*. Hebr.

Eod. Codice: *Conſtantini Africani* Opus de Vrinis, translatum ex linguâ *Arabicâ* in *Hebræam*.

Anonymi Epitome de *Vrinis*. *Hebr.*

Eod. Codice: Tractatus aliquot de *pulſibus*. Hebr.

Eod. Codice: Anonymus de *Medicamentis ventrem ſolventibus*. Hebr.

Eod. Codice: Tractatus de *gradibus ſimplicium*. Hebr.

Eod. Codice: *Theſaurus pauperum* ſive Introductio in artem Medicam. Hebr.

Lexicon Biblicum *R. Menachem* (4) *Ben Seruck*; cujus Inſcriptio מחברת מנחם בן סריק 4to, in chartâ. N. 41.

Eod. Codice: Opuſculum quoddam *Morale*. Hebr.

Eod Codice: *Abrahami Aben Ezra* liber Aſtrologicus, inſcriptus *Principum Sapientia*. Hebr.

Varij variorum autorum Tractatus *Mathematici*, Hebraicè, inter quæ ספר יסוד עולם, *Sepher Ieſod Olam*, hoc eſt, Liber, inſcriptus *Fundamentum Mundi* vel *Fundamentum æternum*, cujus autor *R. Iſaac Iſraëlita*. Fol. in chartâ. N. 42.

עלי אבן רגיל, *Ali Aben Ragel* Aſtrologiæ libri octo Hebraicè, interprete *R. Salomone*, 4to, in chartâ. N. 43.

ארוך, *Aruch*, h. e. Lexicon *Talmudicum* & *Chaldaicum*, abſolutum à *R. Nathan Ben Iechiel*, *B. Abraham, Romano*, anno Æræ Judaicæ (2) 4861. Codex rarus, pretioſus, & accuratiſſimâ diligentiâ conſcriptus elegantiſſimo antiquo charactere in membranâ; in fol. N. 44.

משנה תורה להרמבם, *Miſchne Torah leha-Rambam*; h. e. Compendium *totius Operis Talmudici à R. Moſche Ben Majemon* compoſitum & (3) in *quatuor* partes ac *quatuordecim* libros diviſum, quod aliàs etiam יד חזקה, *Iad Chazaka*, h. e. *Manus fortis*

(1) *Idem videtur eſſe atq;* Menachem Aben Serach Gallus, *quem A. 1375. obiiſſe refert Buxtorfius Biblioth Rabbin. pag.* 401.

(2) *Anno Æra Chriſtiana* 1101.

(3) *Vide Buxtorf. Biblioth. Rabbin. pag.* 345. 346. 347. 348. 349 & 382.

fortis inſcribitur. Codex membranaceus ingens in folio maximo, accuratiſſimæ ſimul perfectionis & incredibilis elegantiæ.

Hactenùs nudum exhibui *Catalogum* quorundam librorum *Arabicorum, Turcicorum Perſicorum*, & *Hebraicorum*, quos V. CL. *Sebaſtianus Tengnagelius* Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ legavit. Accuratius autem & uberiùs peculiari deinceps libro in hiſce Commentarijs de ijſdem agam: ubi ſimul etiam *reliquos longe plures*, qui in eâdem Auguſtiſſimâ Bibliothecâ adſervantur, *Orientalium linguarum præſtantiſſimos Codices MStos* ſpeciatim recenſebo; & quidem additis, quantum fieri poterit, *proprijs* cujusq; linguæ *characteribus*, ut veritas lectionis ex ipſo fonte poſſit erui. Quod reliquum eſt, Corollarij loco propter argumenti ſimilitudinem hîc ſubjungo Viri Perilluſtris & linguarum Orientalium peritiſſimi, Dn. *Petri à Valle Romani*, qui *Orientales Regiones* diligentiſſimè perluſtravit, & in Aulâ Regis Perſiæ *Scah Abas* diu commoratus eſt, prudentiſſimam ſimul atque eruditiſſimam Epiſtolam ad ſæpè memoratum *Tengnagelium* miſſam prid. Kal. Julij A. 1628.

Illuſtriſſ. & Ampliſſ. Domine Tengnageli,
Domine & Amice obſervande.

MAximo me devinxit beneficio inſignis ille doctrinâ amicus noſter, præclarâq; virtute omnibus perpetuò reverendus Sgambatus, qui mihi fuit in cansâ, ut tecum, V. CL., omni genere literarum ornatiſſimo, & præcipuè de linguis Orientalibus, quibus & ipſe aliquantulum operæ navavi, optimè merito, iſta intercederet neceſſitudo, quam, ut perhumanè obtuliſti, nullis meis laceſſitus meritis, ſic, ut inpoſterum eâdem benignitate conſtanter foveas, me exoraturum eſſe non dubito. Eximiæ enim virtutis tuæ hoc eſſe exiſtimo, ut benefacere nunquam deſinas, quin immò in majora ſemper officioſiſſimæ voluntatis tuæ fervens exundanſq; affectus excreſcat. Quod attinet ad laudes, quas nimis ſanè immodicas in me confers, deceptus proculdubio, vel amici ſtudioſâ rerum mearum inſinuatione, (ut eſt in me valdè propenſus) vel proprij certè genij probitate, agnoſco bonitatem tuam, quæ, quod eſt in te potiſſimum, ut alijs facilè tribuas, libenter efficit. Ego quidem nullius iſtiuſmodi exiſtimationis mihi ſum conſcius, ni fortè anſer inter olores ſim connumerandus; in hoc uno tantùm Philoſophi nomenclaturâ fortaſſe non indignus, (juxta propriam vocis ſignificationem) quia ab eruditis Vi-

ris, Amplitudini tuæ ſimilibus, in dies aliquid addiſcendi, &, quicquid fuerit à me quoquo modo quæſitum, non mihi ſoli, ſed ut publicæ utilitati id ſit comparatum, enixè curandi, ardenti continuò cupiditate flagro. Volumina linguarum Orientalium, ut ex Indice tranſmiſſo, Illuſtr. Vir, optimè noſti, perpauca quidem mihi ſunt; pluribus ſiquidem careo, & fortaſſe melioribus, innumerorum verò haud dubiè notitia me præterijt. Earum nempe linguarum peritiæ limen vix attigeram, cùm è regionibus illis emigrare neceſſum fuit, in patriam jam diu revocantibus domeſticis curis. Libri præterea in Oriente, ut nullus eſt typographiæ uſus, non multi reperiuntur; eorum tranſcriptio longo temporis indiget intervallo, & parum felix evenire ſolet amanuenſium inſcitiâ, incuriâ, &, ob lucri aviditatem, celeritate in ſcribendo. Codices autem vetuſtiores à diſciplinarum cultoribus ſæpè evoluti, atque eorum teſtimonio, ut fieri ſolet, pro correctis comprobati, raro venales exeunt: nam illos quicunque habet, diligenter aſſervat, &, ſi fortuitò, aut è vivis ſublato domino, aut alio caſu, in forum prodeunt, à pluribus avidè expetiti, confeſtim evaneſcunt. Inſuper non qui exoptati, ſed qui ad manus perveniunt, ſunt emendi ac redimendi magno pretio, ſi cum noſtris conferantur. Ex paucis illis, quos adduxi, Medulla hiſtoriarum (quod ſcire cupis Vir Nobiliſſime) univerſam Perſarum aliorumque Aſiæ Principium hiſtoriam à primordijs Mundi ad noſtra ferè tempora complectens, breve quidem, ſed elegans eſt opus, cujus verſionem in Italicum idioma jam diu meditor, ſi aliquando erit otium. Geographia - - - - - - -, & ipſa brevis admodum, non exiguæ eſt utilitatis, cùm multa habeat de regionibus Aſiæ, quæ in noſtris deſiderata, penitùs ignorantur. Profeſſio fidei Muhammedanorum duplex apud me eſt, altera nimirum Sonnitarum, qui ſunt Turcæ, altera Sciaitarum, qui ſunt Perſæ utraque compendioſa & curioſitatis non expers. Poſteriorem, quamvis incultè, latinitate donavi, ſed ea eſt, quæ typis tradi Romæ non facilè permittatur ob impiæ ſectæ, quæ memorat, documenta: alibi forſitan minùs rigidè haberetur, præſertim cùm illius notitiam Doctoribus noſtris neceſſariam fore mihi perſuadeam, ut ſciant, quid illorum perfidiæ ſit obijciendum. Doctrina Chriſtiana à Patribus Jeſuitis in regiâ Labor degentibus Perſicè compilata, eleganti eſt ſcripta ſtylo, & non magni voluminis. Hujus vocabula omnia ad ſex circiter millia, additâ interpretatione Italicâ, & citato loco ejuſdem libri, unde excerpta ſunt, jam pridem in Dictionarium congeſſi, adjutus operâ Patrum Carmelitarum Diſcalceatorum Sphahani in Urbe Regiâ Perſarum

commo-

commorantium, qui unà mecum in hoc laborarunt. Unicum hujus libri in Europâ apud me extat exemplar, alterum tantùm apud præfatos Patres Sphahani. Hoc ut inprimatur, omni ſtudio nitar, cùm typi, qui modò parantur Romæ multarum linguarum à Sacrâ Congregatione ad propagandam fidem inſtitutâ, in promptu erunt. Hoc idem curabo diligenter de Doctrinâ Chriſtianâ, de Epiſtola meâ de rebus fidei ad nobilem illum Perſam, cui & latinã verſionem adjungam, & de alijs nonnullis opuſculis, quæ præ manibus habeo, ut ſunt, Divina nomina ſeu attributa uno plus mille, quæ Arabicè & Perſicè exarata latinè interpretabor, Ephemeris Perſica unius anni, ubi multa non ſpretu digna viſuntur, cum latinâ pariter verſione & Grammaticâ linguæ Turcicæ, quam non inutilem, ni fallor, & aliâ à Megiſero in Germaniâ olim editâ fortaſſe magis abſolutam, Italico ſermone conſcripſi. Cæterùm Mir Aliſciri Hiſtoriam de rebus geſtis Teimurlenk, & univerſalem illam Mirchondi ego quoque diu, ſed fruſtrà deſideravi. Mirchondi opus integrum Sphahani quinquaginta aureis emi ſolet, qui pretio ijs reſpondent, quos vulgus Zecchinos Venetos appellat. Alcoranum Perſicè interpretatum Sphahani ſimiliter vidi; ſed quis illinc ad nos deferat tanto itinere? Hormuz & Keſem inſularum bella, rudi quidem ac extemporali carmine à Poetis, qui interfuerunt, inter arma decantata, paucis apud me ſunt contenta chartis, eventuum tamen veridicâ narratione non aſpernanda. Lexicon Perſicum priſcarum vocum - - - - pretioſum eſt Volumen, noſtrâ ætate à docto Viro ingenti cura elaboratum, & apud Perſas magnæ exiſtimationis, cujus exemplar, quod habeo, unicum ut puto in Europâ, autoris nepos propriâ manu exaravit, ejusq; ſcriptioni & autor ipſe adhuc vivens Sphahani, librumq; novis obſervationibus continuè augens, plurimùm diligentiæ adhibuit, ut illius Opus in Europam non niſi correctum perfectumq; aſportaretur. Eximiæ pariter utilitatis ſunt - - - - Arabicum & - - - - Arabico-Perſicum Vocabularia, quibus utriſq; optimè exaratis, magnâ cum voluptate fruor; licet in poſterioris exemplari meo aliquot voces Arabicæ, minio exarandæ, deſiderentur, quarum tamen interpretatio Perſica non deeſt, & idcircò, quod deeſt, facilè eſſet apponi. Non minori commodo & oblectamento utor - - - - Arabico-Turcico ampliſſimo Dictionario, & miro ordine perfectiſſimè digeſto. Pentateuchus Arabicus, quem habeo, Rabbi Saadiæ eſſe exiſtimo, quamvis nullâ Inſcriptione conſtet. Quapropter non multifacio; quia apud Orientales meliores ejuſdem linguæ textus opinor reperiri,

riri, ut eſt Antiochena verſio, nec non Alexandrina. Alius verò Pentateuchus, linguâ & characteribus Samaritanorum exaratus, omnium librorum meorum facilè eſt apex, præterquam quòd in Europâ fortaſsè hujus generis Phœnix. Duo alij reperiuntur, quod ſciam, alter in Bibliothecâ Vaticanâ ter centum quinquaginta aureorum pretio non multò ante comparatus, alter in Galliâ, quem ipſemet ex Syriâ ad Dominum de Sanſy, Regis Galliarum tunc temporis Conſtantinopoli Oratorem, dono miſi: aſt hi Samaritano tantùm charactere, linguâ verò Hebraicâ ſunt ſcripti; meus autem charactere & linguâ Samaritanorum, quod pluris æſtimo, etſi amſi non in membranis, ut illi, ſed in ſimplici chartâ ante annos ducentos ſit exaratus. Cardinalis de Berul, ut audio, dat operam, ut ille, qui in Galliâ eſt, typis mandetur; quod ſi acciderit, idoneis efformatis characteribus, meum & ipſe libenter tradam publico commodo, eandem ſortem nacturum. Hæc omnia, & quæcunq; alia hujus generis poſſideo, Nobilitati tuæ libenter impertirem, ſi tranſcriptoris eſſet copia; ipſe enim labori non ſufficio. Sed hîc nullus eſt, qui hujuſmodi ſcriptioni aptus ſit; proprijs autem Codicibus orbari meum non patitur in hoc ſtudio tyrocinium: ijs enim deſtituto, linguarum adhuc rudis peritia penitùs abiret. Ut ex Aſiâ aliquot Illuſtriſſ. Dominationis tuæ commodo conquirerem, libens omnem adhiberem diligentiam, ſed neſcio quo pacto id fieri poſſit. Hinc enim Sphahanum uſque, ubi amicorũ ope cooptari facilè poſſent, non priùs quàm octo vel novẽ menſiũ itinere perveniunt literæ, ad quas reſponſum antequam accipiatur, biennium præterit. Præterea religioſi illi viri Carmelitæ Diſcalceati & Auguſtiniani Ordinis ibi degentes, quorum operâ uti poſſem, quidquid illorum inſtituti non eſt, parùm anxiè curant; plura ſæpiùs ab ijs efflagitavi incaſſum, meq; de his quotidiè ad ipſos ſcriptitantem, reſponſione rarò ſolantur, ut plurimùm defraudant. Ex diligentiâ quorundam aliorum, qui in Urbe Halepi commorantur, & majora expectarem, & equidem faciliùs, cùm ſit locus ille nobis magis propinquus; ſed illic libri Perſici ſunt rari, licet Arabici & Turcici non deſint. Conſtantinopoli, ubi etiam permulti væneunt, & ſatis juſto pretio, par amicorum habeo, quorum alter mercator, alter Venetæ Reipublicæ eſt interpres, & quamvis ambo ſummam erga me benevolentiam profiteantur, cùm ab ijs paucula quædam noſtræ apud illos viliſſima, ut puto, delectationis efficaci expoſtulatione petierim, ſæpè iteratis literis ac precibus, nedum pretio oblato, uſq; adhuc extorquere potui. Abſentium nempe negotia hunc in modum pertractari conſueverunt, & præſertim à Muſoma-

ſomachis ad rem literariam ſpectantia. Romam verò adventantes ex tranſmarinis regionibus, plerią; idiotæ ſunt, nec ullâ literarum voluptate capti; quam ob rem libros aut nullos deferunt, aut parum ad nos facientes. Sic deniq; de his cogor deſperare; quæ enim, cùm in Oriente verſabar per imperitiam eo tempore præſtare non potui, per abſentiam modò, quamvis ad hæc aliquantulò magis apto non licent. Hinc impetus aliquando ſubit denuò in peregrinationes irrumpendi: ſapientes, ubivis terrarum degant, ultrò conveniendi, quidquid habeo pecuniarum liberaliter in libros erogandi, & his ſimilium; ſed Mors, aurem vellens, Vivite, ait, venio. Sat Muſis Genioq; datum, cui nimium indulgere, ætate quâ fungor, ineptum vulgus profectò reprehenderet. Non ita tamen hiſce territamentis refrigeſco, ut, ſi aliqua ſeſe offerret occaſio, honeſtâ negotiorum, vel honoris ſpecie decorata, eam protinùs exultanti animo non arriperem. Interim Commentariolum de Rege Perſarum jam Venetijs exuditur. Ut primùm ad me perferetur, Nobilitatis tuæ non minùs oculis, quàm cenſuræ ſubijciendum tranſmittam. De regionibus ſubjectis recentiori Perſarum Imperio aliud latino ſermone brevi in lucem prodire ſinam: deniq; peregrinationum mearum longè latèq; vagantem hiſtoriam, licet de ejus ordine & formâ adhuc ſim anceps, nec forſitan abſtinere potero ab aliquibus poëticis rei amatoriæ luſibus, qui florente jam ætate, vernaculâ linguâ è calamo exciderunt. His otia fallens, in id incumbo, ut curem, ne, ſi quà fieri poterit, ferales flammæ, unà cum funere, meum nomen abſumant. Sed jam ad majora ſe efferat ſermo, quandoquidem mutua inter nos benevolentia, ad quam ſingulari me comitate provocaſti, ad hoc anſam præbet. Percepi Viennam brevi adventurum, vel fortè adventaſſe jam Auguſtiſſimum Imperatorem, cui cùm tu, V. CL., à Conſilijs inſervias, non abs re futurum duxi, imò Chriſtianæ Reipublicæ ac Dei *Opt. Max. famulatui ſummoperè conducturum, ſi ab Amplitudine tuâ impetravero, quod etiã atq; etiam rogo, ut in aures illius Cæſareæ Majeſtatis, tunc cùm magis molles aditus, & commoda nactâ occaſione tempora norit, inſuſurrare interdum non dedignetur, Perſarum Regis amicitiam non eſſe ſpernendam: namq; Princeps eſt ille vaſtæ molis Imperio potentiſſimus; armorum vi & rerum geſtarum gloriâ nemini ſecundus; Turcis, Chriſtiani nominis hoſtibus perpetuò infenſus, neq; unquam placabilis, non modò publicarum rerum, ditioniſq; ſic ferente ratione, verùm etiam ob genij ac religionis inter nationes diſcrepantiam. Rodulphus felicis recordationis optimus Imperator, hanc amicitiam avidè complexus, omni ſtudio pro-*

A a 3 *ſecutus*

ſecutus eſt, &, niſi domeſtica cum fratre diſſidia illum ad pacem cum Turcis invitum compuliſſent, (quod Perſa nimis ægrè tulit, de eo mecum, injuriam temporum quibus poteram rationibus nequicquam excuſante, ſæpè conqueſtus) collatis fortè amborum ſignis, ad quod Abas paratiſſimus ſemper fuit, immanis hæc Othomanica bellua ad Scythiæ latebras eâ tempeſtate fuiſſet adacta. O utinam Germania ſedatis civilibus tumultibus, Romanas aquilas in peſſimos illos milvos aliquando contorqueret: quàm glorioſi, quàm faciles hoc ævo triumphi; quippe (1) *Imperatorem habemus ſanctiſſimum, cujus optatis* DEUS *omnipotens ex ſententiâ faveat; armorum virtute ac potentiâ, qualem ſuperiora ſæcula longâ ætate non viderunt, ac demùm in rebus gerendis ſummâ felicitate præſtantem. Sed, ſi fortè res ita ſe habent, ut cum Turcis pax ſit colenda, ſive habendæ induciæ, hoc ſaltem, Vir Ampliſſime, tibi exploratum velim, res Turcarum in eo eſſe ſtatu, ut multò meliori, quàm anteà conditione id ſit peragendum, ſi Cæſaris negotia per fidos æquè, ac rerum peritos procuratores adminiſtrentur; cùm pax iſta à Turcis hodiè, non modò expetita, ſed, ut mihi exploratum eſt, neceſſariò, niſi funditùs ruere velint, ſit obeunda. Inſtat enim Perſa, acerrimus hoſtis, & ab armis nunquam, quoad vixerit, ceſſaturus: inſtant rebelles plures, quibus non exiguæ vires; Turcarum præterea militum inteſtinæ diſcordiæ, nec de facili pacandæ; eorundem inobedientia; Principis ætas parùm firma; genius, fortaſsè ad magna minùs aptus; imperium, ſubditis jam contemptibile, & prorſus ſpretum, quod anteà ſummâ religione colebatur; Miniſtri, ad propria intenti; Imperij vires, imminutæ; Provinciæ dirâ tyrannide devaſtatæ; pecuniæ, deficientes, & alia multa, quæ nutantis Monarchiæ imminentem jam ruinam minitari videntur. Sed jam nimis neſcio, quò me rapuit ingenita ad hæc propenſi animi vis. Ad noſtra redeamus. Hiſtoria Saracenica, verſa ab Erpenio, Romam pervenit, ſed cùm typographorum, ut arbitror, negligentiâ, ejuſdem textus Arabicus multis ſcateat mendis, ut eâ potirer, non fuit mihi curæ; præſertim cùm omnes illas hiſtorias, & longè ampliores, licet breviter, mea Medulla contineat. Archiepiſcopum Damaſcenum Romæ agentem, omni dexteritate tentabo, ſi aliquid boni habuerit venale; itidem Maronitas alios, quorum unus Novi Teſtamenti Codices Syriacè impreſſos cum alijs fortaſsè voluminibus commutabit; & ipſe, ut Illuſtr. Dominationi tuæ ex animi ſententiâ inſerviam, nihil intentatum relinquam. Hoc unum oro, ut mei ſit memor, &, cùm vacat, literarum ſuarum honore, cujus avidiſſimus ſum, non fruſtretur; inſuper*

(1) *Intelligitur Glorioſiſſimus Romanorum Imperator* Ferdinandꝰ II.

per

per ignoſcat hujus epiſtolæ prolixitatem, quæ ſanè in legendo tædium afferet, brevitatis limina inpoſterum ritè non egreſſuro. Neceſſitudinis jam contractæ vinculum ut non laxetur expoſcere, ſine offenſione benigniſſimæ urbanitatis tuæ non licet. Scio enim, ubi jactæ amicitiæ fundamenta virtuti ſunt innixa, ea non niſi firmiſſima, & cum vitâ æternùm duratura eſſe poſſe. Vale igitur Vir Ampliſſime, & impera tui gratiâ ad omnia parato. Romæ, pridie Kal. Julias CIↃ IↃC XXVIII.

Illuſtriſſ. Amplitud. Tuæ addictiſſimus
Petrus à Valle Peregrinus.

Hucuſq; *Petri à Valle* de ſtudio linguarum Orientalium ad *Tengnagelium* Epiſtola. Plures autem ejus generis alias variorum doctorum Virorum ad eundem *Tengnagelium* Epiſtolas publici juris faciam in peculiari *Syntagmate Epiſtolarum Clarorum Virorum*, quod poſthac, volente DEO, ſeorsùm edere conſtitui. Interim nunc ſtylus aliquantulùm ſiſtendus, & *Primo* huic *Commentariorum de Auguſtiſſimâ Bibliothecâ Cæſareâ Libro* imponendus eſt

FINIS.

INDEX

INDEX
PRÆCIPVARVM PERSONARVM ET RERVM,
DE QVIBVS
PARTE PRIMA LIBRI PRIMI
Commentariorum de Auguſtiſſimâ Bibliothecâ Cæſareâ Vindobonenſi, partim ex profeſſo & accuratè agitur, partim autem obiter duntaxat & in anteceſſum fit mentio.

A.

ABalphatus Aſphahanēſis Paraphraſtes Conicorum *Apollonij Pergæi*. Segm. XX p. 19.

Abrahami Bucholceri in Indice Chronologico error de anno obitus *Wolfgangi Lazij*. Segm. XL p. 37. 38.

Abrahamus Ecchellenſis Maronita. Segm. XX p. 19.

Abrahami Gorlæi Numiſmata antiqua, aucta numiſmate quodam C. Petilij. Segm. LXVII p. 77.

Achates Pyrrhi Epirotar. Regis comparata cum *Achate* Cimeliarchij Cæſarei. Segm. XXVII p. 26.

Adami Bobortzi Arcticæ Horulæ ſubſciſivæ de *Latino-Carniolanâ* Literaturâ. Segm. LXXVIII p. 92.

Adamus à Dietrichſtain. Segm. LII p. 56.

Adolphi Occonis Syntagma numiſmatum Imperatorum Romanorum. Segm. LXXVI p. 85. Seg. LXXVII p. 89.

Adrianus; vide *Hadrianus*.

Adrianus Friſius Tigurinus. Segm. XLIV p. 43. Amanuenſis *Hugonis Blotij* Ibid.

Ælij Spartiani error in narratione itineris Imp. *Antonini Caracallæ* commiſſus. Segm. LXXVI p. 87.

Æmilia Via. Segm. IX p. 9.

Æneas Sylvius ſive *Pius II* Pontif. Max. Segm. XVII p. 16. Segm. XXXIV p. 31.

Æra Chriſti *Dionyſiana*. Additam. I p. 100.

Agricola; vide *Rudolphus*.

Albericus Gentilis citatur. Segm. XIX p. 17. 18 in marg.

R. P. *Alberti de Albertis*, è Soc. Ieſu, Lydius Lapis ingenij, ſpiritus ac morum *Gaſparis Scioppij*. Segm. L p. 50 in marg.

Alberti Argentinenſis traditio de origine Auguſtiſſ. Domus *Habsburgo-Auſtriacæ*. Segm. L p. 49.

Albertus Contractus Archidux Auſtriæ. Segm. XXX p. 28.

Alberti Dureri tabula picta, *decies mille Martyrum* paſſionem & mortem exprimens, quæ in Cimeliarchio Cæſareo adſervatur. Segm. XXVIII p. 27.

Albertus Fuggerus, S. Imperij Romani Comes. Segm. LIX p. 67. & deinceps.

Alexander VII Pontifex Maximus. Segm. XII p. 12. Segm. XIII p. 13 Segm. XIV p. 14. Seg. XV p. 14. 15. Segm. XVI p. 15. 16.

Allatius; vide *Leo Allatius*.

Alpes Noricæ. Segm. VIII. p. 8. Segm. LXXVI p. 87.

Alpes Oenipontanæ. Segm. XXII p. 20. 21.
Alpes Rhæticæ. Segm. XXI p. 20.
